DE COTTIDIANI SERMONIS APVD PROPERTIVM PROPRIETATIBVS

ACCEDIT MANTISSA DE CODICIBVS D ET V

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE
REGIMONTANO

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

Ernst Alexander
ERNESTVS NEVMANN
BEROLINENSIS

GEDANI
EX OFFICINA H. F. BOENIGIANA
MCMXXV

Gedruckt mit Genehmigung
der Hohen Philosophischen Fakultät
der Albertus-Universität zu Königsberg i. Pr.

Berichterstatter: Prof. Dr. E. Bickel.

ERNESTO BICKEL
SACRVM

Rerum dispositio

Quisquis vel pauca Properti carmina legerit, eius sermonem haud ita parvas difficultates exhibere animadvertet. quae quibus causis efficiantur, Maximilianus Rothstein doctus ille interpres carminum, ed. Prop.[2] I p. 42 ss. luculente exponit: dure singula disticha inter se committuntur, artificiose diversissimae sententiae continuantur, audacter ratio quae vocatur logica haud raro neglegitur. huius rei exemplum ut afferam, frequentissime poeta ablativum vel genetivum substantivi liberiore usu alii substantivo adiungit, ita ut lectoribus ipsis exquirendum sit, quomodo illa bina nomina inter se referantur.[1]) plura eiusmodi Rothstein per totum commentarium affert, cf. e. g. ad I 10, 30; II 6, 23; III 1, 8; 7, 49 s.

Praeter has proprietates, quae ad poeticam orationem pertinent, mirum in modum in Properti dictione multa occurrunt, quae a culta poesi illius aetatis aliena sint, quin etiam bonorum oratorum usui repugnent. haec res a Rothsteinio et in praefatione (p. 45 ss) et in commentario aliquoties stricta digna esse videtur, quam diligentius consideremus; nam libellis de sermone Propertiano compositis vix acquiescas. ut prioris aetatis opuscula (cf. W. S. Teuffel, Gesch. d. röm. Lit. II[7] p. 90) silentio praeteream, quae ad grammatica Propertiana colligenda significationesque singulorum vocabulorum illustrandas confecta tum temporis utilia erant, nunc quoniam praeter annotationes Rothsteinii et notabilia grammatica ad editionem Hosii ([2]Lpz. 1922) addita sunt et plenus index verborum (ed. J. S. Phillimore. Oxf. 1906) nobis suppetit, fere oblivioni dari possunt, proximis annis duo libelli publici iuris facti sunt: G. Uhlmann, De Sex. Properti genere dicendi (diss. Mon. 1909) et G. Rasner, Grammatica Propertiana ad fidem codicum retractata (diss. Marp. 1917).[2]) quorum quam-

---

[1]) Post Hertzbergium ed. I p. 135 ss, qui hanc rem pro suis temporibus satis probabiliter illustravit, nuper H. Bausch, Studia Propertiana de liberiore usu ablativi (diss. Marp. 1920) denuo illi operam navavit.

[2]) Vix huc spectat H. Hollstein, De monobibli Properti sermone (diss. Marp. 1911), quippe quo opusculo id maxime agatur, ut differentiis sermonis inter monobiblum quae vocatur Properti et ceteros eius libros illustratis Birtii de priore aetate primi libri Propertiani sententia (Antikes Buchwesen p. 413. Rh. Mus. 38, 1883 p. 199, saepius in aliis commentationibus, nuperrime Die Cynthia des Properz. 1922 p. 15 ss) confirmetur. itaque Hollstein minime proprietates sermonis Propertiani, quales ab aliis poetis diversae observantur, illa disputatione explanat.

quam hic formas substantivorum, verborum, pronominum accuratissime tractavit et ille maxime de syntaxi disserens permulta investigavit, quae ad vulgarem consuetudinem loquendi spectant, tamen quaestio nondum ad exitum adducta est; nam cum de syntaxi unumquidque ab Uhlmanno absolutum videatur, quamquam vestigia cottidiani sermonis saepe parum accurate eruta sunt (cf. infra p. 44), primum de formis vulgaribus omnia necessaria nondum dicta sunt. deinde electus verborum, qui ad cottidianum usum perspiciendum magni momenti est, partim neglectus iacet. hos labores adhuc praeteritos quam maxime consecutus in tertia parte huius commentationis in universam elocutionem Properti inquiram; nam nonnulla eiusmodi graviora in Uhlmanni disputatione aut omissa aut extrinsecus in syntaxis tractatione notata sunt.

Ea demonstrare quoniam animum induxi, identidem alios scriptores, plerumque Propertio aequales, rarius priores posterioresque, et poetas et oratores, et perfectos et deteriores, quasi testes in iudicium producam; nam etiamsi hoc modo tabulae, ut ita dicam, saepius conficiuntur, quas ut ineptas atque inanes multi viri docti despiciunt, tamen caveamus, ne illos indices parvi aestimemus. primum igitur poetae cultissimi velut Vergilius, Ovidius maximeque Tibullus, quippe qui praecipue elegantem dictionem affectet (cf. R. Buerger, Beiträge zur elegantia des Tibull. Χάριτες für Leo. Berl. 1911 p. 371 ss), Propertio opponendi erunt; deinde Catullus atque Horatius non tam puri quam neglegentis sermonis auctores haud immerito citabuntur; hic enim in sermonibus epistulisque consulto ad inferiorem dictionem descendit et ille praeter epyllia liberiori elocutioni indulget (cf. Norden, Aen. VI² p. 140, Schulze, Burs. Jahresber. 1920 p. 48). tum illos poetas in appendice Vergiliana et in altera parte corporis Tibulliani occurrentes respiciam, quorum omnium fere ut universam virtutem ita sermonem satis parvi existimare licet. atque inter scriptores solutae orationis ne transeamus testes illos prorsus insignes rudis sive inferioris latinitatis velut auctores quattuor librorum, qui sunt ad Herennium, ac belli Hispaniensis et Africani neque minus huc pertinent epistulae et Ciceronis ipsius et ceterorum ex huius propinquis amicisque memoriae traditae, in quibus neglegentia quaedam sermonis cottidiani cum urbana elegantia nescioquo modo coniungitur. praeterea vetusti scriptores saepenumero adeundi erunt, utpote qui posteriorum elegantia nondum imbuti frequenter more populi loquantur et soli nobis permulta praebeant, quae etiam postea haud dubie erant in usu (cf. Gell. XIX 10; Norden l. l. pp.

141; 155; 231). sed etiam tempora Propertiana excedemus, si quidem multa argenteae quae vocatur aetatis propria cottidiano sermone oriuntur.

Ceterum ne notio illa in sequenti commentatione passim obvia scilicet vulgaris sinistre accipiatur, ad Fridericum Marx virum doctissimum provoco, qui certam definitionem illius vix inveniri posse luculentis verbis admonet (Die Beziehungen des Altlateins zum Spätlatein. Neue Jahrb. XXIII 1909 p. 455). similiterque Loefstedt sagacissimus ille indagator posterioris latinitatis iudicat (Philolog. Komm. z. Peregrinatio Aetheria p. 8). proinde vox sermonis vulgaris, qua omnes gradus sermonis inde a familiari usque ad rusticum comprehenduntur, semper cum grano salis, ut nostrates dicere solent, intellegatur velim.[1])

I. De formis

Tres sunt res, quod videam, quibus intellectis et perspiciemus, quomodo formae cottidiani usus ortae sint, et materiam Propertianam commode disponemus.

Ac primum quidem ex consuetudine sermonis vulgaris vocabula saepe deminuuntur, ita ut syllabae minus expressae aut omnino pereant aut certe attenuentur, id quod per syncopam, contractionem, obscuritatem vocalium, apocopam fieri solet.

Deinde in linguae popularis usu vocabula aliquo modo amplificantur, si quidem aut syllabae monstrativa vi suffiguntur aut verba simplicia praepositionibus praefixis corroborantur aut verba quae vocantur intensiva vel frequentativa sine propria vi pro primitivis stant aut formae deminutivae eandem significationem habent atque eae, a quibus derivatae sunt. ob eandem consectationem expressioris orationis et formae verborum periphrasticae abundanter usurpantur et praepositiones iuxta substantiva loco simplicium casuum stant et comparativus gradus vocabulo *magis* circuitur („analytisches Element der Sprache" F. Skutsch, Kultur der Gegenwart I 8^2 p. 551).

Tum formas quasdam in sermone plebeio contra regulam sollemnemque usum aliis similibus ἀναλόγως accommodari videmus.

His formis aut correptis aut amplificatis aut analogia quadam ortis nonnullas adiungam, quae ex prisca aetate in cottidiano sermone conservatae ab elegantioribus poetis et scriptoribus vitantur, sed apud Propertium occurrunt.

---

[1]) In universum omnia, quae quamquam in sermone vulgari haud dubie usitata sunt, etiam scriptoribus probatis placent, in sequenti commentatione praetermissa sunt.

a) De formis correptis

1) De formis syncopa ortis

Ex exemplis ab Hosio ed.[2] p. 182 collectis ea substantiva diligentius consideranda sunt, quae in *-culum* fere exeuntia terminationem correptam *-clum* praebent. quam postea demum anaptyxi in illud *-culum* mutatam initiis linguae latinae principalem locum obtinere (F. Sommer, Handb. d. lat. Laut- u. Formenlehre[3] p. 140) hoc loco nihil interest, sed quaeritur, num iure vocabula in *-clum* cadentia ex sermone vulgari ducamus, quia et poetas metri causa (Norden l. l. p. 149) et Ciceronem rhythmi causa (Zielinski, Philologus, Suppl. IX 1904 p. 768 s) illa usurpare apertum est. sed primum tales formae haud dubie sermoni familiari peculiares sunt (cf. Sommer l. l. p. 137), deinde quanta incuria Propertius sit, ex eo colligi potest, quod is pro portione illas largius usurpat Vergilio, qui cum inter 12900 fere versus 43 exempla praebeat (Wotke, Wien. Stud. VIII 1886 p. 137 s), in 4010 versibus Propertianis 17 exempla inveniuntur, id quod rectius iudicabimus, si Vergilium priscum morem secutum tantummodo fere in Aeneïde vetustarum formarum plena formis per syncopam contractis uti meminerimus. huc accedit, ut Horatius in sermonibus epistulisque magis quam in carminibus iis indulgeat (Vollmer, editio maior[2] p. 342). denique Propertius pro forma etiam poetis frequenti *spectaculum* bis (IV 8, 21; 56) alteram scilicet *spectaclum* adhibet, quam loco Plautino (Curc. 647) reperiri Rothstein docet. ceterum Catullus 10 exempla praebet (7ies *saeclum*, bis *oraclum*, semel *vinclum*), Tibullus miro modo nullum nisi 6ies *vincla* et bis *vinclis*.[1]) de Ovidi usu nihil habeo certi.

Verbales formae per syncopam contractae duae in Propertio occurrunt: I 3, 37 *consumpsti*; IV 2, 29 *imposta*.[2]) eum usum perlustrare supersedeo, utpote de quo Norden dilucide disserat (l. l. pp. 127; 140) tales formas cottidiano sermoni assignandas esse iudicans: Die synkopierten Formen dieser Art haben für Catull noch volles Leben, aber sie galten ihm bereits für vulgär, da er sie nie im Epyllion gebraucht (p. 140). quod Horati consuetudine confirmatur: *evasti, percusti, erepsemus, divisse, surrexe* exempla omnia, ut ait Vollmer (l. l. p. 342), in sermonibus sermonis communis imitamenta.

---

[1]) Plena forma *vinculis* metro repugnat.

[2]) I 3, 27 *duxit* O, *duxti* ς. scripturam bonorum codicum servari posse, quamquam v. 29 *tibi* legimus, contra Hosium Rothstein recte mea quidem sententia in appendice editionis (p. 463) exponit.

2) De formis contractis

Cum syncopa brevi vocali extruso oriatur, alia correptio eo modo fit, ut consonantes *v* et *h* inter vocales easdem (*divites, nihil*) vel diversas, quarum altera expressius sonat, (*-avisti, -averam*) extrahantur illaeque vocales coalescant (*dites, nil, -asti, -aram*), quam rem contractionem vocare solemus.

A verbalibus formis Propertianis orsus omnes eas, quae etiam optimis scriptoribus probantur, excutere supersedeo, quales sunt formae in *-asti, -arunt, -isse, -issent* desinentes, *noram, admoram* aliaeque, si quidem et in Tibulli carminibus (Buerger l. l. p. 380) et in carminibus lyricis Horati (Vollmer p. 356 s) et in culta oratione inveniuntur (cf. Cicero, orator 157: quid quod sic loqui *nosse, iudicasse* vetant, *novisse* iubent et *iudicavisse?* quasi vero nesciamus in hoc genere et plenum verbum recte dici et imminutum usitate).[1] tamen, nisi fallor, Propertius extra cancellos eius usus egressus est. haec res viris doctis adhuc ambigua accuratius examinanda est. quinque enim formae apud Propertium exstant, quae utrum praesenti tempori an contractione agnita perfecto assignentur, dubitari potest: II 15, 3 *narramus;* 9 *mutamus;* II 7, 2 *flemus;* 3, 32 *redit*; IV 9, 39 *audit.*

Atque ut primum de illis, quae sunt *narramus, mutamus, flemus* agatur, constat contractiones primae personae plur. ind. perf. act. evitari idque fortasse, ne tempora perfectum praesensque formis congruentibus confundantur. ergo formae ut *nomus* (Enn. scaen. 160), *suemus* (Lucr. I 60; 301; IV 369), *consuemus* (Prop. I 7, 5), quamquam satis raro exstant, nihil habent offensionis, quoniam praesens eorum verborum ex alia stirpe procreatur; alia autem exempla ex Terentio Vergilioque a Neuio (III p. 494) allata, ut quae praesentiam significare putanda sint, a Sommero (p. 564) recte reiciuntur. restant igitur, quantum video, tres illae formae Propertianae, Ovidi (rem. am. 727) *dormimus,* quem locum a Neuio et Sommero neglectum Rothstein (ad I 7, 5) commemorat, Calpurni (7, 18) *spectamus,* quibus omnibus locis fieri non potest, quin aut perfectum tempus aut corruptelam agnoscamus.

Prop. II 15, 3—4 quam multa adposita narramus verba lucerna,
quantaque sublato lumine rixa fuit
9—10 quam vario amplexu mutamus bracchia. [quantum
oscula sunt labris nostra morata tuis.

---

1) Totam materiam velim inspicias apud Neue Formenlehre der lat. Sprache[3] III p. 480 ss. praeterea cf. Sommer p. 562.

Poeta summa laetitia exsultans continua narratione singula momenta noctis amatoriae κομματικῶς effert idque semper perfecto tempore usus (v. 4 *fuit;* v. 5 *est luctata;* v. 6 *duxit;* v. 7 *patefecit;* v. 8 *dixit;* v. 10 *sunt morata*). quae cum ita sint, fieri non posse puto, ut *narramus* (v. 3) et *mutamus* (v. 9) praesenti tempori attribuamus, id quod iudicat Reitzenstein (Deutsche Literaturz. 1898 col. 956), quasi poeta summis affectibus concitatus praeterita pro praesentibus exponat. id eo minus probabile videtur, quod in utroque disticho bina membra inter se respondent: 3—4 *quam multa narramus verba . . . . . quantoque rixa fuit;* 9—10 *quam vario amplexu mutamus bracchia. quantum oscula sunt morata.* itaque quod Rothstein verisimile esse iudicat, equidem pro certissimo habeo *narramus* atque *mutamus* perfecti temporis esse.

Prop. II 7, 1 ss gavisa es certe sublatam Cynthia legem,
qua quondam edicta flemus uterque diu,
ni nos divideret.

Vel propter insequens membrum *ni nos divideret* illud *flemus* a praesenti tempore plane alienum est.

Ad explanandum locum Calpurni 7, 16 ss
nec mihi, si quis
omnia Lucanae donet pecuaria silvae
grata magis fuerint quam quae spectamus in[1]) urbe

Neue (III p. 494): *quae spectamus in urbe*, inquit, bezeichnet das von dem Sprechenden bei vorübergehendem Aufenthalt in Rom Gesehene, wie *vidimus, vidi, spectavi* (vv. 23, 57, 60, 66, 70). continuatio singularum rerum, quae narrantur, cum Properti versibus II 15, 3—10 comparari potest. simili de causa illud Ovidianum *dormimus* rem. am. 727 s.

hic fuit, hic cubuit, thalamo dormimus in[2]) illo,
hic mihi lasciva gaudia nocte dedit

perfecto attribuendum est, praesertim cum haec contractio multo levior sit ceteris: *dormimus* ex *dormi(v)imus* cf. *dites* ex *di(v)ites.*

Sed ad illa alia *redit* atque *audit* transeamus.

II 3, 32 post Helenam haec terris forma secunda redit.
quo loco commode praesens tempus intellegitur, quia aliquid singulare agnoscere nexu sententiarum non cogimur.

---

[1]) Schenkel editor secundum coniecturam Heinsii in textu ponit: *quam quae spectavimus urbe* — perperam, ut mihi videtur, *urbe* pro *in urbe.*

[2]) In editione Merkelii: *hic fuit, hic cubuit thalamo dormivimus illo* falso, si respicis probos codices. cf. F. Vollmer, Hermes 52 (1917) p. 464: *dormimus* (*vi* supra *i* add. R[2]) *in illo* R, *domuit in illo* E. — *dormivimus* R[2] aperta interpolatio est.

IV 9, 39 quis facta Herculeae non audit fortia clavae? sic Hercules ad feminas Bonae Deae diem celebrantes. interpretatio nimis contorta esset, si *audit* pro praesentis forma haberemus, praesertim cum in eadem oratione Herculis simillima vi certa perfecti forma *audistisne* (v. 37) antecedat. qua re probata apparet Propertium, quod litteris exstet, primum pro *audiit*, quae forma apud auctores latinos sescenties occurrit (thes. l. lat. I 1262, 8 ss), illud *audit* adhibere, quod in posteriorum scriptis velut Senecae maioris, Vellei Paterculi, Suetoni saepius legimus (thes. l. lat. I 1261, 80 ss). sic igitur id probe stabilitum videmus, quod de universo poetarum usu Sommer (p. 564) iudicat: *-it* bei *i*-Verben ist in der guten Dichtung noch im silbernen Latein verpönt. quae cum ita sint, Propertium consuetudinem sermonis neglegentis sequi non potest negari, praesertim cum inscriptiones saepe talia praebeant.

Atque hactenus de formis verbalibus. ceterae tres per contractionem correptae paucis absolvi possunt: *dites* (Prop. III 4, 1), *nil* (14ies), *mi* (8ies).

dites et *nil* in usu omnium fere scriptorum sunt. illa forma etiam in Tibulli atque Horati carminibus metri causa invenitur, *nil* passim in huius poesi, cum Tibullus 7ies *nihil* exhibeat, nusquam *nil;* nam quod haec forma in quarto libro Tibulliano (IV 4, 21; 13, 7) occurrit, ea ipsa re illa carmina a Tibullo abiudicanda esse confirmatur praeter alias observatiunculas, quae in hac commentatione per occasionem proferentur. sed forma *mi* satis idonea est, ex cuius frequentia (8ies) Propertium in minus sublimi dictione versari intellegamus. qua de re nemo dubitabit, si materiam in Neuii collectione (II 349 ss) percurrerit. Cicero quidem illud *mi* in epistulis tantum adhibet atque multo saepius in iis, quae ad Atticum scriptae intimae familiaritati inserviunt, nunquam in ceteris scriptis. Properti licentiam rectius taxabimus, si ceterorum poetarum aequalium usum conferemus: Vergilius et Ovidius singuli in tot milibus versuum binis locis (Aen. VI 104; 123 in oratione directa, cf. Norden ad h. l.; met. IX 191; XIII 503), Catullus persaepe in poematiis, non in epylliis, Horatius frequenter in hexametris, non in carminibus, Tibullus nunquam *mi* praebent. sane mirum est neminem adhuc interpretum Properti aut eorum, qui in sermonem Propertianum inquisiverunt, hoc testimonium gravissimum significavisse.

3) De formis obscuritate vocalium notatis

Linguam latinam ad interitum vergentem et in linguas romanicas transeuntem magis magisque cum aliis mutationibus

tum vocalium quarundam obscuritate infectam esse inter omnes constat. huc pertinet maxime transitus, qui fit ab dipthongo *au* ad simplicem vocalem *o* (cf. F. Corssen, Aussprache, Vokalismus u. Betonung der lat. Sprache I 655; H. Schuchardt, Vokalismus des Vulgärlateins II 301 ss; W. Meyer-Lübke, Gesch. der lat. Volkssprache. Grundriß d. rom. Philolog. I^2 465 ss). sed antiquitus hanc rem sermonis vulgaris propriam fuisse et Catonis, Varronis, Ciceronis in epistulis (non in ceteris scriptis) usus aperte docet velut Cato, agric. X 2 *pollulum,* Varro, l. l. V 167 *pollulis,* Cic. ad Q. fr. II 13, 4 *oricula,* et ex inscriptionibus apparet.

Apud Propertium duo exempla occurrunt: I 3, 4 *cotibus*; IV 1, 86 *lotus* (de *lavare*).

De illa forma in thes. l. lat. III 710, 29 universe scriptum videmus: legitur nonnunquam in codd. praecipue auctorum vetustiorum *cotes,* deinde 711, 84 ss discimus pluralem *cotes* praeter posteriores, quorum sermo vulgari consuetudini accommodatus est, Ennium, Vergilium, Ciceronem, Propertium adhibere. qua brevi notatione usus formam *cotes* quam diligentissime excussi.

De eius usurpatione Enniana dubitari potest; nam Festus (p. 330 Mueller[1]), qui illud fragmentum (ann. 421 Vahlen) servavit, corruptum exhibet *contibus.* Vahlen mavult *cautibus,* sed mea quidem sententia ex litteris traditis non minus probabiliter Theodorus Bergk proposuit *cotibus* formam vetustae latinitati bene aptam.

Cicero uno loco *cotes* ponit Tusc. disp. IV 33 *ex quibus* (scil. *perturbationibus) quoniam tamquam ex scruplosis cotibus enavigavit oratio, reliquae disputationis cursum teneamus.* his verbis haud scio an Cicero poetae prisci, fortasse Enni sententiam proferat, id quod duae illae voces iuxta *cotibus* positae suadent. nam adiectivi per se vetustatem redolentis forma per syncopam correpta valde notabilis est, atque iniuria Maximilianum Pohlenz recentissimum editorem contra plurimos codices *scrupulosam* plenam formam probare puto. deinde verbum enavigandi hac significatione ante Curtium, Suetonium, Apuleium nusquam alibi exstare videtur,[2]) qua ex re fortasse concludi potest illud verbum obsoletum a Cicerone ex vetusta latinitate depromi, in posteriore ut multa vocabula resurgere.

---

[1]) Pro editione Theorecii Hungarici a Vahleno citata Muelleri editionem ut vetustiorem ita notiorem et apparatu critico bene instructam restitui.

[2]) Hor. c. II 14, 11 *unda scilicet omnibus . . . . . enaviganda.* hoc loco forma tranvitive posita aliam vim habet scilicet transeundi = ἐκπερᾶν cf. Heinze ad h. l.

Vergilius formas *cautes* et *cotes* variat: *cautes* 8^ies^, *cotibus* ter[1]) idque fortasse sonoritatis causa.

Cum Propertius *cotibus* I 3, 4 exhibeat, in eadem specie poeseos Tibullus semel (II 4, 9) et Ovidius saepius formam *cautis* ponunt, alteram nusquam.

Clarius Propertium summa incuria plebeiam pronuntiationem sequi ex forma *lotus* pro *lautus* (IV 1, 86) intellegimus. quae hic primum occurrit atque usque a Vitruvio demum (I 2, 8) et Seneca (Phaedr. 750) saepius legitur. locum Propertianum in collectionibus et Neuii (III 536 s) et Sommeri (p. 602), ut qui Vitruvium primum formam vulgarem testari censeant, errore praeteriri moneo.[2])

4) De formis deminutione ultimae syllabae correptis

Iam prima aetate linguae latinae syllabas finales vocum quarundam accentu ita mutatas deprehendimus, ut pro longis breves stent. hoc in communi sermone sine arte aut consilio provenisse, a comicis autem poetis extensum esse iam aequales Ricardi Bentley intellexerunt, qui ipse correptionem quam vocamus iambicam sola licentia poetarum contineri ratus illi iudicio iniuria repugnabat (Terentius ed. Bentley² p. XV). hodie iam nemo de illo dubitat.

Vocabula igitur quaedam, quae antiquitus in fine breviata etiam elegantissimis poetis probantur, velut *nisi, mihi, tibi, ubi, volo* in sermone Propertiano considerando fusius tractare opus non est. Sed pauca verba facienda sunt de forma *cave.* terminatio enim imperativi primae alteriusque coniugationis nisi apud scaenicos veteres nusquam fere corripitur praeter paucas formas interiectionibus similes, in quibus est *cave* haud dubie usitatissima; nam invenimus eam apud Plautum plus 70^ies^ et Terentium 12^ies^. Propertius praeter IV 8, 6 *tale iter omne cave,* ubi in fine pentametri natura syllabae anceps est, et IV 8, 77 *colla cave inflectas,* ubi quantitas terminationis elisione obscuratur, ter (I 7, 25; 10, 21; II 13, 41)[3]) *cave* imperativum pyrrhichice adhibet, id quod apud ceteros omnes poetas illius aetatis omnino 11^ies^ occurrit idque semel in

---

[1]) Falso mea sententia Merguet in lexico Vergiliano has formas ex vocabulo *cos* derivat.

[2]) Ceterum Umbrum poetam suae patriae pronuntiationem sequi (cf. Lindsay-Nohl, Die lateinische Sprache p. 47: *o* für *au* ist eine Eigentümlichkeit des Umbrischen) ex his duobus exemplis vix concludi potest.

[3]) [Hac commentatione confecta addo nunc Rothsteinium in altera editione tertii ac quarti librorum recte, ut mihi videtur, quartum exemplum huius prosodiae vetere coniectura (F_2) probata repperisse:
IV 4, 48 tu cave spinosi rorida terga iugi.]

Ciceronis Arateis (62), ter apud Catullum (50, 18; 19; 61, 145), quater apud Horatium (serm. II 3, 38; 177; 5, 75; epist. I 13, 19. at *cave* trochaice c. I 14, 16; III 7, 24; epod. 6, 11; epist. I 6, 32), ter apud Ovidium (inter 34000 fere versuum, at *cave* trochaice 6[ies]), nusquam apud Tibullum, qui bis (vel ter, si carmen IV 2 ei assignamus) *caveto* praebet. iam vero ex sermone vulgari fluxisse videtur iunctura *cave sis:* Plaut. 18[ies]; Ter. Eun. 799; Cat. 50, 18; Prop. II 13, 41.

Deinde commemorandi sunt hi versus Propertiani:

IV 5, 77 quisquis amas, scabris hoc bustum caedito saxis
III 9, 35 non ego velifera tumidum mare findo carina.

has correptiones syllabae finalis si Propertio tribuimus, egregia exempla licentiae e vulgi sermone haud dubie fluentis reperiuntur. nam ex materia, quam „De *o* finali apud poetas latinos ab Ennio usque ad Iuvenalem" R. Hartenberger diligenter congessit (diss. Bonn. 1911), pro certo intellegitur:

1) creticas voces ante Propertium in hexametris vel pentametris correptionem finalium non pati nisi:
   a) Cat. 80, 5 *nescioquid,* 85, 2 *nescio,* quae forma ad imminuendam terminationem prona est, cum aut *ne-* et iambica vox *scio* proprie disiuncta sint (L. Mueller, De re metrica[2] p. 413) aut imminutio enclisi vocis *quis* vel *quid* effecta postea etiam ad solam formam *nescio* translata sit (A. Luchs, Hermes VI 1872 p. 266. Dziatzko, Ter. Phormio[4] p. 61). usque a Catullo cum omnes fere poetae tum Propertius eam prosodiam frequenter praebent.
   b) Hor. serm. I 4, 93 *mentio;* 104 *dixero*; 10, 42 et 85 *Pollio,* quam licentiam in priore tantum libro saturarum ab Horatio vulgi sermonem imitante adhiberi memineris velim.
   c) Tib. II 6, 41 *desino.* causa correptae syllabae finalis facile ex simplici verbo *sino* secundum legem de formis iambicis breviato repetitur.[1])
2) vocibus spondiacis trochaice uti omnino neminem alium audere ante Ovidium, qui in his licentiis prosodiacis primus testis vergentis linguae latinae comparet; nam satis frequenter debilitationem vocum et creticarum et spondiacarum admittit.

Attamen viri docti inter se ambigunt, num illa duo exempla Propertiana pro genuinis accipienda sint, id quod

---

[1]) Minus probabiliter mea quidem sententia Hartenberger (p. 44) Tibullum illud *dixero* Horati ante oculos habuisse putat. nam eius audaciam liberiori sermoni saturarum bene aptam ab illo poeta elegantissimo expressam esse cras credam.

recte fieri, ut recentissimos tantum editores nominem, Hosius affirmat, Rothstein negat. fortasse iure hic Livinei coniecturam *caedite* probat IV 5, 77 s

quisquis amas, scabris hoc bustum caedito saxis,
mixtaque cum saxis addite verba mala.

nam forma *caedito* altero imperativo *addite* (v. 78) in suspicionem vocatur, ita ut librarium vocibus *quisquis amas,* quo membro minime singularis numerus exigitur (cf. Ov. met. XV 677 s *favete, quisquis ades.* Hartenberger l. l. p. 46) in errorem inductum rectam formam *caedite* mutasse verisimile esse videatur. sed III 9, 35 s

non ego velifera tumidum mare findo carina,
tota sub exiguo flumine nostra mora est

quamquam optimum codicem Neapolitanum v. 35 omisisse satis mirum est, tamen id aut casu aut propter ipsam illam inusitatam prosodiam fieri potuisse vix deneges. primum enim versus per se prorsus insignis et optime per antithesin sequenti pentametro accommodatus est, deinde licet de II 22, 50 in illo fragmento carminis cum Rothsteinio dubites — versum nuper defendit P. Hoppe, Satura Viadrina altera (1921) p. 15 s — III 10, 17 s et 11, 58, quos versus idem codex Neapolitanus solus omittit, vix a Propertio abiudicari possunt.[1])

Tum huc pertinet forma *here* Prop. II 22, 1 (*heri* II 14, 20; III 23, 12). de hac iam recte iudicavit P. Heymann, In Propertium quaestiones grammaticae et orthographicae (diss. Hall. 1883) p. 76 poetam vulgari aetatis suae sermoni indulgere arbitratus. quodsi poetarum Propertio aequalium usum persequimur, illud *here* his tantum locis deprehendimus: Hor. serm. II 8, 2; Ov. am. I 8, 23;[2]) fast. III 852. in soluta oratione cum ceteri scriptores florentis aetatis semper *heri* scribunt tum Cicero uno loco excepto, quod testimonium gravissimum est, scilicet ad Att. XV 1a, 1. eam pronuntiationem sua quidem aetate usitatam esse Quintilianus testatur I 7, 22 *here nunc E littera terminamus, at veterum comicorum adhuc libris invenio: heri ad me venit, quod item in epistulis Augusti, quas sua manu scripsit aut emendavit, deprehenditur.* cf. Suet. Aug. 86, 1 *genus eloquendi secutus est elegans et temperatum.*

Denique ex imminutione vocalis productae *i* dativus tertiae quae vocatur declinationis in brevem vocalem *e* cadens originem trahit, si quod exemplum eius exstat Propertianum; nam usque

---

[1]) Quae Rothstein (II p. 370 s) contra fidem versus III 11, 58 profert, haud ita firma ad probandum sunt.

[2]) *scis here te, mea lux, iuveni placuisse beato?* cf. Prop. II 22, 1 *scis here mi multas pariter placuisse puellas.* cum totum argumentum carminis Ovidiani ex Prop. II 22 sumptum est tum ille versus (Rothst.).

adhuc viri docti prorsus ambigunt. illum dativum contra ordinem formatum ipsis proximis annis viri docti pertractaverunt: alii probant,[1]) alii reiciunt[2]) in Propertio, et qui illum universe agnoscunt, singillatim inter se dissident. equidem post tot tamque diversas sententias hoc iudico, si non aliis locis, at certe IV 8, 10 dativum *ore* Propertio concedendum esse:

talia demissae pallent ad sacra puellae,
cum temere anguino creditur ore manus.

Hertzbergii in commentario explanatio (*anguino ore* abl. abs. = quamvis os anguinum sit ideoque reformidandum, tamen manus illi scilicet draconi creditur), quamquam Klotzio (Berl. philolog. Wochenschr. 1920 col. 1133) et Bauschio (l. l. p. 38) placet, nimis contorta est quam ut probetur, atque Birtii coniectura scilicet *conditur* pro *creditur* (Rasner l. l. p. 42; Birt, Die Cynthia des Properz p. 121) minime acquiescas; nam voces *temere* et *creditur* optime inter se conveniunt, ita ut vis sententiae illa mutatione hebetetur, praeterquam quod summa cum audacia vocabulum *creditur* consensu codicum traditum loco suo movetur. ergo ut ceteris locis eiusmodi Propertianis ablativus intellegatur, hic dativum in *e* exeuntem necessario statuimus.[3]) quod cum ita sit, Propertium vulgarem formam litteris mandavisse apparet, cuius alia exempla in inscriptionibus tantum plebeis exstant velut in Neapolitana quadam (cf. Buecheler-Windekilde, Grundriß d. lat. Deklination p. 108): *casta pudica pudens coniuge cara suo.* ceterum dativos illos prisco more in litteram productam *e* exeuntes, qui praecipue in vetusta iunctura *iure dicundo* (e. g. Liv. XLII 28, 6; Suet. Iul. 7, 1) et in inscriptionibus (Neue I 297 s) inveniuntur, ab illa forma Propertiana plane alienos esse diserte vel ideo monendum est, quia Rasner (l. l. p. 39) haec duo genera formarum in disputatione commiscet. atque haec hactenus. iam vero alia species correptae terminationis tractanda est.

Frequentius more vulgari littera *s* in verborum latinorum exitu eiciebatur, quod ex elegantiore atque expolitiore sermone magis magisque evanuit, ita ut Ciceronis temporibus

---

[1]) Rothst. ad I 14, 5; Hosius p. 187; Uhlmann l. l. p. 34; M. Schuster, Wien. Stud. XLI (1919) p. 33 ss; Berl. philolog. Wochenschr. 1922 col. 310.

[2]) K. P. Schulze, Zeitschr. f. Gymnasialw. LII. p. 224; Rasner l. l. p. 39 s; W. Kroll, Forschungsber. II 63; A. Klotz, Berl. philolog. Wochenschrift 1920 col. 1133; 1922 col. 312.

[3]) Qua re probata cum Rothsteinio aliis quoque locis illum dativum alteri interpretationi durae fortasse recte praeferri consentaneum est velut I 18, 11 s: *sic mihi te referas levis ut non altera nostro limine formosos intulit ulla pedes.* sed haec tam incerta ambiguaque omittamus.

subrusticum putaretur (cf. Cic. or. 161). hanc rem Leo, Plautin. Forsch.[2] Cap. V: Auslautendes *s* und *m* p. 248 ss enucleans praeter alia vocabula *magis—mage* et *potis—pote* proprie easdem formas sic inter se referri exploravit, ut littera *s* more cottidiani usus neglegi ac *mage* pro *magi(s)*, *pote* pro *poti(s)* stare soleret.

Apud Propertium *mage* ter (I 11, 19; III 14, 2; IV 8, 16) occurrit. quam formam Cicero, Catullus, Tibullus, Horatius, Ovidius respuunt, Vergilius semel usurpat (Aen. X 481), sive antiquum morem sequitur (Wotke l. l. p. 142) sive impolitam formam interim probat (Leo l. l. p. 294: einer der wenigen Fälle, in denen das *emendaturus erat* auch auf Erscheinungen der Wort- und Versform zu beziehen ist).

Similiter res se habet de forma *pote* = *poti(s)* scil. *est*:
Prop. II 1, 46 qua pote quisque, in ea conterat arte diem
III 7, 10 nec pote cognatos inter humare rogos.

quam ad familiare dicendi genus aspirare iam iudicat O. Rebling, Versuch einer Charakteristik d. röm. Umgangssprache auf syntaktischem und lexikalischem Gebiete (1883) p. 6, id quod affirmatum videmus ex usu optimorum scriptorum; devitant enim *pote* Vergilius (at bis ponit poeta Ciris vv. 227, 328), Tibullus, Horatius, Ovidius (sic ex indice editionis Burmannianae), Caesar (at bis auctor misellus belli Africani 54, 4 et 5. cf. A. Köhler, De belli Africani et Hispaniensis latinitate. Acta sem. Erlang. I p. 403). Cicero *pote* ter adhibet idque bis in epistulis (ad Att. IV 13, 1; XIII 38, 1), praeterea haud dubie consulto Brut. 172: *cum (Theophrastus) percontaretur ex anicula quadam, quanti aliquid venderet, et respondisset illa atque addidisset „hospes non pote minoris“, tulisse eum moleste se non effugere hospitis speciem.* — a Propertio Catullum stare videmus, qui illud vocabulum 5^ies^ adhibet.

Nunc apocopam considerantes in carminibus Propertianis *sat* 13^ies^ (*satis* 10^ies^) et *dein* bis (*deinde* 6^ies^) deprehendimus.

Forma *sat* Catullo Tibulloque deest, semel in Horatio (c. II 19, 26), ter in Ovidio (her. 12, 75; rem. am. 657; met. VIII 24) occurrit. Vergilius, quamquam saepius *sat* praebet (11^ies^), tamen multo frequentius plena forma utitur (28^ies^), quam in Propertio minus saepe reperimus (10^ies^) correpto illo vocabulo *sat* (13^ies^). praeterea hoc 13^ies^ inter 4010 versus Properti, 11^ies^ inter 12900 versus Vergili exstare notes velim. huc accedit, ut Cicero in omnibus scriptis 7^ies^ *sat* exhibeat, nempe perraro, idque quater in epistulis, semel in oratione prioris aetatis (pro Rosc. Amer. 32, 89, cf. Landgraf ad h. l.), bis in ceteris scriptis (de or. III 84; Cato 14, 48). probatissimos

igitur scriptores *sat* si non omnino abicere, attamen vitare discimus.[1])

Quod attinet ad formam *dein*, quaeritur, num eam ut apocopa ortam ex vocabulo *deinde* repetamus, id quod recte fieri Leo negat (Rh. Mus. 38, 1883 p. 19 s: „ad *ilico* autem non plane eadem ratione accedit *exilico* qua *exin*, *dein*, *proin* ad *in*“). mea quidem sententia Franciscus Skutsch optimo iure contra Leonem *dein* ex *deinde* derivandum esse censet (Plautinisches u. Romanisches. Forsch. z. lat. Gramm. u. Metr. Bd. I p. 82; Arch. f. lat. Lexikogr. VIII 1893 p. 443 = Kl. Schr. p. 75). hoc igitur de etymologia. ad usum autem singulorum auctorum Gudemann altera forma *deinde* apposita tabulam instituit (thes. l. lat. V 407): ex scriptoribus, quos hoc loco respicere debemus, Vergilius, Tibullus, Ovidius illud *dein* omnino aspernantur, Catullus ter et Horatius bis in sermonibus ponunt atque cum his bis Propertius III 19, 15 et IV 8, 83. quod Ciceronem duodecim tantum exempla praebere ille vir doctus dicit, id certe falsum esse fieri non potest quin pronuntietur; nam inter viginti exempla a Neuio (II 672) allata, quamquam nonnullis locis codices inter se differunt, tamen aliis a Gudemanno neglectis *dein* forma consensu illorum confirmata stat: pro Caelio 63; pro Milone 28; de nat. deor. II 19; de rep. I 18. attamen etiamsi 20^ies^ fere, non 12^ies^ usurpationem vocabuli *dein* Ciceroni concedimus, hoc altera illa forma *deinde*, quam Cicero secundum Gudemannum 853^ies^ praebet, quasi exsorberi manifestum est.[2])

b) De formis amplificatis

1) De formis syllaba suffixa corroboratis

Propertius omnia, quae significationi ac perspicuitati inserviunt, amplissime affectat. hanc rationem dicendi, qua

---

[1]) Quae Neue (II 596) de usu vocis profert, temere pro explorato habere non licet, cum nescio quo pacto unum locum Propertianum pro tredecim commemoret.

[2]) Fortasse in hac parte commentationis formae velut *crevere* pro *creverunt*, *movere* pro *moveris* in carminibus Properti frequentes desiderantur. sed primum, ut aliquem illius aetatis poetam eumque elegantissimum nominem, apud Tibullum talia saepenumero occurrunt, deinde formam in *-ere* cadentem pro *-erunt* in vulgi sermone etiam vitari Loefstedt, Peregr. Aeth. p. 36 s docuit nuperrimeque denuo aliis exemplis demonstravit W. A. Baehrens, Berl. philolog. Wochenschr. 1924 col. 702. denique illarum formarum non altera ex altera derivari potest. de ratione quae est inter formas velut *sequeris*, *sequere*; *sequaris*, *sequare* Leo quidem primus, quantum video, eandem originem defendit (Plaut. Forsch. p. 289), sed cum Lindsay viro Scoto (Burs. Jahresber. 130, 1906 p. 186) rectius secundum veterem opinionem *sequeris* et *sequere* pro diversis formis haberi existimo.

permulta non simpliciter pronuntiantur, sed δεικτικῶς, ut ita dicam, affirmantur, in sermone cottidiano ab hominibus omnium temporum adamari et ex Plauto et ex hodiernae nostrae linguae animadversione discimus. sed id infra in elocutione Properti consideranda accuratius tractandum erit, in hac parte satis est monere Propertium aliquot formas particulis suffixis corroboratas demonstrativa vi usurpare, quae a bonis auctoribus magis minusve vitantur: *haecine* I 17, 8; *sicine* II 15, 8; III 6, 9 (ex recta coniectura deteriorum codicum);[1]) *tute* III 14, 25; *pone* (ex *postne)* III 15, 28; *agedum* I 1, 21; IV 9, 54.

Formas *haecine* et *sicine*[2]) cottidiano sermoni tribuere non dubito, quia Vergilius, Tibullus, Ovidius nullum praebent exemplum, Horatius semel illud *huncine solem tam nigrum surrexe mihi* (serm. I 9, 72 s), quo in enuntiato structura ipsa (cf. Heinze) et forma *surrexe* vulgarem dictionem redolent. Catullus ter (64, 132; 134 in oratione Ariadnae; 77, 3) *sicine* habet, semper sicut Propertius ita, ut indignatio quaedam vocabulo inhaereat. Cicero, quamquam *haecine, hocine* taliaque compluries (10^{ies} ex Neuii indice II 421 s) praebet, tamen pro amplitudine scriptorum satis raro et semper in orationum partibus, ubi tales formae flagranti animo oratoris condonantur, eas ponit, *sicine* semel (de fin. I 34) usurpat.

tute expressius pro *tu* stat Prop. III 14, 25 s *nullo praemisso de rebus tute loquaris ipse tuis;* nam interpretatio Rothsteinii, qua *tute* vocativus adiectivi *tutus* est, improbabilis videtur. quis enim vocem *tute* audiens vel legens in illo versu vocativum tam audacter positum, non pronomen secundae personae intellegat?

Praeter vetustos auctores maximeque Plautum Cicero 22^{ies} *tute* adhibet (Neue II 363), deinde singulis locis Vergilius (buc. III 35) atque Catullus (30, 7),[3]) sed Tibullus, Horatius, Ovidius forma *tu* pro natura poesis suae sescenties usi *tute* non adhibent. ergo propter solam usurpationem eius formae Propertio minime proprietatem quandam loquendi vindicaremus, quandoquidem etiam Cicero ac Vergilius testes prodeunt, sed inter alia documenta liberioris sermonis ne hoc quidem neglegendum est.

---

[1]) Hic locus in indice Phillimori omittitur. qui in editione Propertiana (Oxf. 1901) praebet *sic, ut eam.* hoc modo litterae quidem in omnibus codicibus *(sicut eam)* praeter Neapolitanum *(si ea)* traditae servantur, sed mea sententia lectio plane incredibilis exstat.

[2]) Falso Rothstein² (recte in priore editione anni 1898) atque Hosius *haeccine* et *siccine* littera *c* geminata praebent. cf. Neue II 411; Sommer p. 449 s.

[3]) Neue praeterea affert Cat. 20, 3; sed praeterquam quod hoc carmen a Catullo abiudicandum est (= Verg. catalept. I_b), illo loco traditum legimus *ante* (cf. editiones Birtii et Vollmeri).

pone pro *post* ex *postne* ortum a cultis scriptoribus satis raro adhibetur; nam Vergilius, qui quater *pone* usurpat idque bis locutionem *pone sequens* (georg. IV 487; Aen. II 208; 725; X 226), si non verbis Enni utitur, at certe vetustum sermonem imitatur (cf. Quint. VIII 3, 24 s). praeter Vergilium florente aetate occurrunt haec exempla: auct. ad Her. IV 10, 14 *ita petulans est ac proterva, ne ad solarium quidem, ut mihi videtur, sed pone scaenam et in eiusmodi locis exercitata.* haec verba in exemplo attenuati generis, quod, ut ait ipse auctor, ad infimum et cottidianum sermonem demissum est, stare velim notes. Cic. Tim. 37 *qui prope copulentur contrariaque regione et pone quos aut ante labantur*; 48 *et ante et pone et ad laevam et ad dextram.* his locis plenam formam propter oppositionem usurpari manifestum est. praeterea Prop. III 15, 28 *credebat dominae pone venire pedes.* at in priore et posteriore latinitate hoc vocabulum frequentius invenitur.

Denique apud Propertium bis (I 1, 21; IV 9, 54) *agedum* legimus, quod etiam Catullus (63, 78; 67, 7) atque Horatius (serm. I 4, 38; II 3, 155), non Vergilius, Tibullus, Ovidius habent. apud Ciceronem miro modo bis tantum (pro Sulla 72, pro Scauro 12) *agedum,* sescenties simplicem vocem *age* invenimus. huc quoniam accedit, ut illa forma amplificata apud Plautum ac Senecam frequenter exstet (thes. l. lat. I 1405, 67), haud scio an iure eam sermonis vulgaris propriam esse existimemus.

2) De formis syllaba affixa corroboratis

Verba composita more vulgari saepe sic usurpantur, ut praepositionum ad procreandam novam vim praefixarum propria significatione neglecta pro simplicibus verbis stent. qua de re disserunt e. g. Woelfflin, Philolog. 34 (1876) p. 158, Rebling l. l. p. 29 s, Koehler l. l. p. 368 ss, Loefstedt l. l. p. 92, Dziatzko l. l. p. 74, Lindenbauer, S. Benedicti regula monachorum mit philolog. Kommentar (1922) p. 177.

Quodsi composita apud Propertium vulgari illo modo occurrunt eademque a ceteris poetis illius aetatis rarius nusquamve adhibentur, familiaris consuetudinis proprietatem statuere licet. singulis quidem exemplis vix tam certa testimonia illius comparebunt quam supra in formis quibusdam considerandis, sed haud scio an si totam copiam contulerimus, ratio quaedam loquendi agnoscatur.

Ac primum quidem usum omnium eorum verborum, quae ad hanc quaestionem pertinere videntur, hac tabula composui:

Verba composita	Prop. 4010 versus	Verg. ca.12900 versus	Hor. 7866 versus	Cat. 2300 versus	Tib. 1384 versus	Ovid. ca.34000 versuum	alii poetae aequales
comburere	1						
comprimere i. q. intensive premere	1[1])					1?[2])	
concredere	1[3])	1	1 serm.	1			
concrepare	1					2	
consenescere de singulis i. q. senescere	1						
conservare	1			1			
consimilis	1					1	
contegere	1	1		2		3	
conterere	3					5	
deflere	1	2				7	1 Culicis poeta
degravare	1					4	
deminuere	1					1	
demonstrare	1			1[4])			1 Lygdamus
denegare	2		1			4	
depingere	1						
deportare	1						
deposcere i. q. intensive poscere	1		1 serm.			[5])	1 [Ov.] Halieut.

[1]) Prop. IV 2, 25 *frontem mihi comprime faeno.* propria vi aut pro *supprimere, prohibere* verbum comprimendi saepius etiam apud poetas occurrit.

[2]) Ov. Ib. 603 *ut nova Phasiaca compressa est nupta corona,* nisi codex Canonicianus rectam praebet lectionem, scilicet *comprensa,* id quod Ellis interpres carminis probabile esse in commentario iudicat.

[3]) Prop. I 10, 11 s sed quoniam non es veritus concredere nobis,
accipe commissae munera laetitiae.

concredere V_2, *concedere* ceteri codices, Hosius, Rothst. — contra hos Leo, Gött. gel. Anz. 1898 p. 731 alteram manum Vaticani codicis fortasse ex fonte nunc deperdito oriundi ut saepe veram scripturam exhibere censet. cf. I 11, 11 *Teuthrantis; Teutrantis* V_2, *Teutantis* ceteri codices. alii eiusmodi loci: I 13, 8; 16, 48; II 12, 18; III 7, 68. — ceterum verbum concredendi frequenter apud Plautum, bis in omnibus scriptis Ciceronis, saepe apud auctores recentioris aetatis legitur (thes. l. lat. IV 92, 34 ss).

[4]) Cat. 55, 2 in poematio epistulae forma composito.

[5]) Ov. met. I 200 *studiisque ardentibus ausum talia deposcunt. deposcere* proprio sensu i. q. *alicuius traditionem ad puniendum postulare.*

Verba composita	Prop. 4010 versus	Verg. ca.12900 versus	Hor. 7866 versus	Cat. 2300 versus	Tib. 1384 versus	Ovid. ca.34000 versuum	alii poetae aequales
despondere	1			1		1	
detondere	1					2	1 Ciris poeta
exaequare	1[1])					1	
peraeque	1			1			
perdiscere	1				1[2])		
permanere	1						
permovere	1						
perpeti	4	2	1	1		8	1 Lygdamus
persaepe	1		4serm.[3])	1[4])			
perstrepere	1						
pertendere	1						
pervigilare	1	1		2			1 Lygdamus
pervincere	1		1 epist.	1			
retinere i. q. intensive tenere	1[5])			2			1 Ciris poeta

Ad hunc conspectum paucas adnotatiunculas addere liceat: cum illa verba composita rarissime a poetis ponantur, omnia simplicia velut *urere, crepare, tegere* passim occurrunt; e. g. monstrandi verbum Verg. 18^{ies}, Hor. 12^{ies}, Ov. 24^{ies}. praeterea multa quae supra attuli composita in posteriore latinitate praevalent, id quod vulgarem usum testatur: *comburere* saepissime

[1]) Prop. IV 11, 31 *altera maternos exaequat turba Libones.* — *exaequare* „gleich machen, für gleichwertig halten“ (cf. Rothst. ad h. l.) Schmalz in Antibarbaro sub hac voce: *exaequare* in eigentlicher Bedeutung ist ein vulgäres Wort.

[2]) Tib. I 9, 63 ss illa nulla queat melius consumere noctem
aut operum varias disposuisse vices.
at tua perdidicit.

consulto poeta compositum verbum propter oppositionem adhibet; sed Propertius sine ulla vi III 5, 25 *tum mihi naturae libeat perdiscere mores.*

[3]) *saepe* Horatius 9^{ies} in carminibus lyricis ponit.

[4]) Ex hac usurpatione pedestrem sermonem elucere K. P. Schulze (Bericht über Catull. Bursians Jahresber. 1921 p. 50) monet neque minus id valere de *peraeque* „in allen Fällen ohne Unterschied“ (Cat. 6, 9; Prop. II 28, 9) equidem addo.

[5]) Prop. II 29, 5 Rothst.: *retinere* ist nur ein verstärktes *tenere;* so Cat. 64, 8 *diva . . . . retinens in summis urbibus arces.* 311 *laeva colum molli lana retinebat amictum.* huc pertinere mihi videtur etiam Cir. 510 s *numquam illam post haec oculi videre suorum purpureas flavo retinentem vertice vittas.*

Cels., Scrib. Larg., Plin. nat., Chiron, Vulg. (thes. l. lat. III 1758, 76 ss). *consenescere* de singulis vi intensiva pro simplici *senescere* primum Prop. III 7, 36 *haud ulla carina consenuit*, deinde usque a Livio saepius apud posteriores ut Quint., Sen., Plin. (thes. l. lat. IV 388, 5 ss). idem fere in verborum *contegendi* et *conterendi* usu observatur. verbum *demonstrandi* auctoribus quibusdam vulgaribus magis placet altero verbo scilicet *monstrandi:* Suet. 18 : 2, Apul. 17 : 15, Plin. nat. 70 : 32, Tert. 94 : 7 (cf. thes. l. lat. V 503, 55 ss). de adiectivo *consimilis* iam Klotz, Handwörterb. d. lat. Sprache I p. 1078 s. v. *consimilis* verissime: wie es scheint, mehr dem Umgangston angehörend, seltener in höherer Prosa und Poesie. cf. thes. l. lat. IV 461, 71 ss: „vox apud auctores bonae aetatis admodum rara, inde ab Apuleio et Gellio saepius occurrit". — ex poetis florentis aetatis praeter Propertium semel Ovidius illam adhibet ep. ex Ponto III 7, 3 s

> taedia consimili fieri de carmine vobis,
> quidque petam, cunctos edidicisse reor.

sed hoc loco adiectivum cum asseveratione stat: „immer wieder dasselbe Lied". praeterea fortasse huc spectat, quod Ovidius in epistulis ex Ponto saepius orationem aliquantulum demittere videtur (cf. J. H. Schmalz, Zeitschr. für Gymnasialwesen 1881 p. 115). at Propertius sine ulla significatione dicit III 6, 39 *me quoque consimili impositum torquerier igni.*

Nunc pauca verba de vocibus *deflendi* et *depingendi* facienda sunt. Prop. I 16, 13 s

> has inter gravibus cogor deflere querelis
> supplicis a longis tristior excubiis.

minus mirum videtur esse, quod Catullus, Tibullus, Horatius hoc verbum plane vitant, Vergilius Ovidiusque rarissime adhibent, at simplex verbum *flendi* apud omnes poetas et transitive et intransitive persaepe occurrit, quam hoc, quod Propertius illo loco intransitive *deflere* ponit;[1]) nam eius usus cetera exempla omnia in posteriore latinitate inveniuntur (thes. l. lat. V 359, 37 ss): Sen. contr., Homer. lat., Statius, alii. *flendi* igitur verbum, ut quod ex brevi litterarum congerie constet, in sermone cottidiano, si recte video, syllaba *de* quasi adminiculari solebat eiusque asseclam Propertius illo loco se praebet. similiter Prop. II 6, 27 *quae manus obscenas depinxit prima tabellas.* Rothst.: *depingere* hier nicht ein Original abmalen, sondern eine Holztafel von oben bis unten bemalen. sed propter vocem *obscenas* melius

---

[1]) Rothstein nimis audacter: *gravibus querelis* ist grammatisch nicht weiter bestimmt; aber aus dem nächsten Vers ergibt sich, wer der Klagende ist, und aus diesem muß auch das Objekt zu deflere entnommen werden.

tabellas quasi Gemälde intellegimus. ergo compositum *depingendi* intensive loco simplicis verbi stat; nam *tabellas pingere* sollemnis locutio est. ceterum illud *depingere* eadem vi atque Propertius usurpant: Corn. Nep. (Milt. 6, 3 *cum pugna depingeretur Marathonia*), saepius Vitruvius, Plinius, Quintilianus aliique (thes. l. lat. V 572, 45 ss).

Quod attinet ad verba *per* praefixa (Loefstedt l. l. p. 92: *per-* das verstärkende Präfix par excellence in der Volkssprache), praeter ea, quae supra in indice allata sunt, commemorandum videtur vocem *pertendendi* absolute pro *pertinacem esse* nusquam exstare nisi Prop. II 15, 17 *quod si pertendens animo vestita cubaris* et Varro l. lat. V 2 *in quo non debet pertendi et pertendit, pertinaciam esse* (Rothst.). denique cito Prop. I 3, 39 *o utinam tales perducas improbe noctes.* quamquam haec significatio verbi nullo alio exemplo affirmatur, tamen mea quidem sententia non est, quod ex vetere coniectura cum Rothsteinio legamus *producas;* nam *perducendi* vocabulum secundum popularem usum Propertius pro simplici verbo *ducendi* (cf. IV 6, 85 *sic noctem patera, sic ducam carmine*) adhibere videtur.

3) De verbis intensivis

Quisquis vel primis labris Plauti et Terenti, ut praecipuos auctores vetustae latinitatis afferam, fabulas attigit, brevi tempore animadvertit verba quae vocantur intensiva vel frequentativa apud illos multo plura exstare quam in scriptis posteriorum auctorum, qui magis minusve regulis artis dicendi astringuntur; quin etiam multa eiusmodi verba nusquam fere nisi in prisco sermone deprehendimus velut *aspectare* (cf. E. Norden, Ennius und Vergil p. 45).

Sed cum culti scriptores intensivis parce utantur, in communi consuetudine usus eorum haud dubie semper viget; nam primum pleniores formae populo placent, deinde intensiva verba, quippe quae omnia eodem commodoque modo flectantur, aliis difficilioribus praeferuntur. huc pro testimonio accedit, quod iam in comoediis Terentianis illa pro portione rarius comparent quam in Plautinis (Woelfflin, Archiv f. lat. Lexikogr. IV 1887 p. 197 ss) et, ut alterum argumentum afferatur, Livius, quippe qui frequenter vulgari dictioni indulgeat, intensiva multo liberius sibi vindicat Caesare scriptore elegantia orationis egregio. Vergilius autem quod saepenumero ea verba exhibet, exemplo Enni proposito vetustam dictionem exprimit (Norden, Aen. VI p. 233) eademque ex causa usus Sallustianus ducitur.

Propertius praeter verba usitatissima velut *agitare, pulsare, captare, cessare, iactare* nonnulla intensiva praebet, quae Vergilio excepto ceteris poetis illius aetatis paene desunt, cum primitiva verba saepius occurrant.

increpitare: Prop. II 26, 15; III 25, 14; [Ov.] Halieut. 80.

motare: II 19, 31 (ex recta coniectura Hertzbergii cf. Rothst. ad h. l.)

pressare: Prop. III 17, 18; Ov. met. VIII 538; XV 472. ceterum conferas velim usum Propertianum cum Tibulliano:

Prop. III 17, 18 et nova pressantis inquinet uva pedes
Tib. I 5, 24 pressaque veloci candida musta pede
Tib. II 1, 45 aurea tum pressos pedibus dedit uva liquores.

raptare: Prop. III 11, 27; Ov. met. II 234; XII 223; XIII 410.

rogitare: Prop. I 8, 23 *nec me deficiet nautas rogitare citatos.* verbum intensivum hoc loco aptissime stare nemo non intellegit.

vectare: Prop. III 3, 46; *vectari*: II 30, 3; III 1, 11; 3, 39. praeterea hoc verbum reperimus Ov. met. VIII 374 et in Horatio serm. I 6, 59 *vectari caballo* ex vulgari locutione et epod. 17, 74 *vectabor umeris tunc ego inimicis eques* proprio sensu.

volutare: Prop. II 17, 8 proprie frequentativa vi *difficile ut toto monte volutet onus* (de Sisypho) atque II 29, 36, si recte iudico; nam hic locus interpretibus haud ita paucas attulit difficultates.

Poeta se Cynthiam cum alio cubantem deprehensurum esse suspicatus subito mane domum illius venit. quae, ut est nullius culpae conscia, summa ira ardens contemptim haec verba facit:

apparent non ulla toro vestigia presso,
signa volutantis nec iacuisse duos.

volutantis LF_2 *voluntatis* NF *voluptatis* DV

cum alii editores tum Rothstein et Hosius codicum gemellorum DV scripturam probaverunt. sed quandoquidem eorum permulti loci interpolationibus refecti sunt, id quod infra accuratius demonstrabitur, illam in suspicionem vocare licet. nec de nihilo scriptura *voluptatis* videtur esse, si eam verborum structuram intellegimus, ut infinitivus *iacuisse* quasi ἐπεξηγητικῶς cum substantivo voluptatis coniungatur (cf. Prop. I 10, 3 *o noctem meminisse mihi iucunda voluptas*) et in pentametro idem aliis verbis pronuntietur quod in hexametro (cf. Rothst. ad I 8, 36). particula *nec* tertio loco posita nullam movet dubitationem. altera interpretatio ab Hertzbergio in commentario prolata, qua infinitivus *iacuisse* cum substantivo coordinato *vestigia* (cui appositum est *signa voluptatis*) ad idem verbum *apparent* refertur, concinnitatem membrorum evertit. sed

codicibus DV reiectis a Neapolitano egregio illo teste memoriae profecti levi correctura in id incidimus, quod nonnulli codices deteriores praebent, scilicet *volutantis* (*voluntatis* N, cf. II 12, 9 *hamantis* N *hamatis* ceteri codices recte, III 15, 14 *immittens* NL *immites* ceteri recte). ab hac voce plurimi editores propterea abhorrent, quod minime hoc verbum nequitiae proprium probari posse arbitrantur. sed recte Baehrens (in editionis apparatu critico ad h. l.) contra Hertzbergium: „*volutantis*, qui Cynthiae ori convenire negant, eam contemptim loqui obliviscuntur". — participium *volutans* mediali genere stat, id quod apud scriptores florentis aetatis satis raro fit (e. g. Verg. georg. I 74 *siliqua quassante*, cf. Leo, Culex p. 43).

Qua interpretatione probata testimonium habemus liberioris dictionis, si quidem Propertius aptis locis ad colorem orationis significandum sordida vocabula usurpare non dubitat.

4) De vocabulis deminutivis

Principaliter deminutiva, ut quorum proprium sit caritatem aut blanditiam aut misericordiam notare, ad affectionem quandam animi indicandam adhibentur. praeterea has voces proprie adulantes persaepe εἰρωνικῶς contemptionis ludibriique causa in usu esse videmus.

Originem habent deminutiva, ut quae intimos sensus aperiant, ex usu cottidiano, atque commemoratu dignum est Ciceronem, quamquam nullo in genere orationis illis formis plane abstinet, tamen plerumque eas usurpare in epistulis maximeque iis, quarum argumenta ad res cum privatas tum familiares pertineant, Vergilium in eclogis plurima deminutiva, in Georgicis et Aeneide rara ponere, Horatium scribere in carminibus fere nulla, in sermonibus epistulisque permulta, Senecam plura in apocolocyntosi quam in septem libris naturalium quaestionum (Mueller, De deminutivis linguae latinae. diss. Regimont. 1865 p. 14).

Sed non modo propria vi formae deminutivae in sermone vulgari multo frequentius quam apud cultos auctores occurrunt, sed etiam eorum usus paulatim ita extenditur, ut vis omnino infirmetur ac diluatur. cuius rei in posteriorum scriptis usitatissimae etiam Propertius exempla exhibet.

Quodsi huius usum diligentius inspicimus, deminutiva, quae in poesi elegiaca apte stant,[1]) secernere ab iis, quae pro primitivis more vulgari posita esse videntur, oportet. ad suum locum conveniunt haec:

---

[1]) Etiam neotericorum poetarum usus ad Propertium aliquid valere videtur: II 15, 2 (cf. p. 29) — Ticidas frg. 1 *felix lectule talibus sole amoribus.* cf. Norden, Einl. i. d. Altertumswissensch.[3] I 4 p. 48.

facula II 29, 5 de pueris Amoribus:

quorum alii faculas, alii retinere sagittas,
pars etiam visa est vincla parare mihi.

tamen commemorandum est vocabulum *faculae* ante Propertium singulis locis in Catone Varroneque occurrere, a nullo alio illius aetatis scriptore poni, postea autem primitiva voce scilicet *fax* amissa in linguas romanicas transire: val. *fachie*, ital. *fiaccula*, francogall. vet. *faille* (thes. l. lat. VI 144, 27), qua ex ipsa re illud *facula* in usu cottidiano linguae latinae viguisse discimus.

lectulus II 15, 2 blandissime *o tu lectule deliciis facte beate meis.* Propertium hoc deminutivum bis (praeter hunc locum IV 8, 35), Tibullum nusquam (at 6ies *lectus*) usurpare velim notes.

libellus 6ies apud Propertium de libris poesis amatoriae stat, praeterea I 9, 13 *tristis istos libellos* scilicet carmina heroa.

vocula I 16, 27 s

o utinam traiecta cava mea vocula rima
percussas dominae vertat in auriculas.

Rothst.: Die Deminutivbildung ist bedeutsam, schon ein kleiner Flüsterton würde genügen, sie umzustimmen.

Deinde tria deminutiva apud Propertium legimus, quibus partes corporis designantur: *auricula, ocellus, labellum.*

auricula I 16, 28, qui versus supra exscriptus stat. hoc loco formam quicquam habere dulce aut suave Rothstein iure negat. longius autem de usu eius deminutivi inquirentes animadvertimus *auris* substantivum passim exstare, *auricula* florente aetate his tantum locis: auct. ad Her. in exemplo illo ad infimum et cottidianum sermonem demisso IV 10, 14 *adulescens, cui etiam nunc paedagogi lites ad auriculas versarentur.* Cicero, proverbialiter, ut puto, ad Qu. fr. II 13, 4 *tu, quemadmodum me censes oportere esse et in re publica et in nostris inimicitiis, ita et esse et fore oricula infima scito molliorem.* praeterea semel Cat. (67, 44) et 5ies Hor. in hexametris (in carminibus vox *auris* 7ies, *auricula* deest). in posteriore latinitate vox percrebrescit praecipueque apud auctores infimae dictioni indulgentes occurrit velut in Plini historia naturali, Senecae apocolocyntosi, alioquin; quin etiam apud Chironem crebrius legitur altero substantivo *auris* (thes. l. lat. II 1494, 29 ss).

ocellus Prop. 18ies. huius vocis usurpationem, quae quidem ad amatae oculos pertineat, ex natura elegiacae poesis repetere debemus. praeterea illud *ocellus* apud Catullum, Propertium, Ovidium haud raro communi sensu legitur idque metri causa, quoniam forma *oculus* ultimum locum hexametri respuit. tamen propter exempla tam frequentia (18 inter 4010 versus)

Propertium indiligentiae cuiusdam arguere licet, quia praeter Catullum (7ies *ocellus*) et Ovidium (19ies inter 34000 fere versuum) soli deteriores poetae illud deminutivum prae se ferunt: auctor incertus Ciris (vv. 132; 238; 348), Lydiae (v. 5), Lygdamus (6, 47). huc accedit, quod Cicero semel omnino eam formam exhibet ad Att. XVI 6, 2 *cur ocellos Italiae villulas meas non video?*

labellum Prop. II 13, 29 *osculaque in gelidis pones suprema labellis.* de hoc vocabulo nihil afferri potest certi, quandoquidem et ipsum et primitivum substantivum *labrum* raro apud poetas occurrit, nisi quod Catullus Ovidiusque poetae amatorii septies singuli illud ponunt.

Restant haec deminutiva Propertiana: *articulus, asellus, corolla, flabellum, lapillus, quasillus, sacellum, sirpiculus, spiculum, tabella.*

Ex his non praetereundum est:

corolla vocem cum Propertio (I 3, 21; 16, 7; II 15, 51; 34, 59) adhibere bis Catullum (63, 66; 64, 284) et Priapeorum in codicibus catalepto Vergiliano appositorum auctorem (II 6; III 10) et semel Copae poetam (v. 13), cum forma *corona* in Vergilio, Tibullo, Horatio, Ovidio creberrime exstet (thes. l. lat. IV 976, 44 ss).

quasillus vocem praeterea inveniri apud Catonem (r. r. 133), Ciceronem (Phil. III 10), Sulpiciam (Ps. Tib. IV 10, 3), cum *qualus* legamus e. g. Verg. georg. II 241.

sirpiculus nusquam occurrere videri nisi apud Plautum, Varronem, Catonem, Propertium, Columellam.

Praeter haec substantiva Propertius bis (I 11, 10; II 13, 32) adiectivum *parvulus* usurpat, quod omnino rarum (Cic. in orationibus 5ies, in ceteris scriptis quater) hi soli poetae praeter Propertium illa aetate ponunt: Verg. semel Aen. IV 328 *parvulus Aeneas* in oratione Didonis — forma deminutiva consulto blandimenti causa a poeta adhibetur —, Cat. 61, 216 simillime de aetate puerili *Torquatus parvulus,* Horatius ter in hexametris (serm. I 1, 33; epist. I 15, 42; 18, 29), ignoti auctores Culicis (v. 183), Ciris (vv. 138; 439), Moreti (v. 8), panegyrici Messallae (v. 197).

5) De formis quae vocantur periphrasticis

Quoniam adhuc de omnibus iis formis disceptatum est, quae amplificatione stirpis ortae sunt, nunc ad eam speciem dicendi transeamus, qua formae periphrasticae aut ipsae amplificantur aut loco simplicium stant. cuius usus tractationem, quamquam ad syntaxin pertinet, iure iis, quae antecedunt, adiungi puto, quia ille item ex studio communi expressioris dictionis repetitur.

Ac primum quidem formae eiusmodi verbales considerandae sunt. in inferiore latinitate frequenter participium perfecti cum formis verbi substantivi *fui, fueram* conectitur velut Plaut. Merc. 481 aliisque locis *oblitus fui* pro *oblitus sum* (cf. Brix-Niemeyer ad mil. glor. 102). cuius usus causa haud dubie ex eo ducitur, quod vis praeteriti temporis participii propria iuxta formas *sum, eram* vulgo parum exprimi videtur. multa exempla apud Sallustium ac Livium et in collectione epistularum Ciceroniana occurrunt et tria praebet Horatius in sermonibus I 4, 94 s *mentio si qua . . . . iniecta . . . fuerit;* 9, 58 *si exclusus fuero;* II 8, 6 *fuit captus.* in posteriore latinitate illa dictio usitatissima est (cf. Neue III 139 ss).

Simili modo futuri temporis participio formae velut *ero* apponuntur in sermone cottidiano, quem e. g. Seneca sequitur ep. 76, 21 *curandum est, ut in eos potissimum beneficia conferamus, qui grate responsuri erunt.*

Utriusque dictionis a culta oratione satis alienae specimina exhibet Propertius. sed caveamus ne illam abundantiam iis locis reperiri opinemur, quibus aut status praeterito tempore perfectus aut id, quod etiam futura aetate instat, designatur; nam ad ea significanda illae formae ab omnibus scriptoribus adhibentur, e. g. Cic. pro Sest. 32, 69 *inclusus fuit;*[1]) de or. I 223 *apud quos aliquid aget aut erit acturus.* atque sic intellegi debet Prop. II 31, 2 *porticus a magno Caesare aperta fuit.* Rothst.: damals, als ich vorüberkam. at ex consuetudine communis sermonis legimus:

I 4, 9 nedum si levibus fuerit collata figuris
15, 35 hos tu iurabas, si quid mentita fuisses
II 26, 3 et quaecumque in me fueras mentita, fateri
IV 11, 79 et si quid doliturus eris, sine testibus illis.

hunc locum, praesertim cum participium *doliturus* omnino perraro exstet (Neue III 582), fortasse Ovidius exprimit met. IX 256 *si quis forte deo . . . . . doliturus erit.*

Deinde commemoro

I 16, 1 quae fueram magnis olim patefacta triumphis
II 28, 21 Andromede monstris fuerat devota marinis.

his locis *fueram* plenior vox eadem significatione stat atque *eram*, id est plusquamperfectum loco simplicis praeteriti. huic consuetudini cottidiani sermonis Propertium solum omnium auctorum praeter postremos latissimum campum concedere non est quod post alios fusius exponam (cf. Rothst. praef. p. 46; ad I 3, 17; passim; Uhlmann p. 62 s).

---

[1]) J. N. Madvig, Opusc. acad.² p. 576: „discrimen formarum *amatus sum* et *amatus fui* a veteribus et bonis scriptoribus constantissime servatum“.

Praeterea iure mea quidem sententia Uhlmann (p. 55) sermonis familiaris esse iudicat

III 7, 21 sunt Agamemnonias testantia litora curas

IV 6, 1 sacra facit vates: sint ora faventia sacris,

ubi participium praesentis cum verbo substantivo coniunctum est, atque

II 14, 22 mecum habuit positum lenta puella caput

17, 2 hoc erit infectas sanguine habere manus,

quibus locis formae verbi habendi adduntur participio perfecti pro simplici perfecto, quod exspectamus.

Iam vero aliam speciem circuitus eloquendi consideremus. in postrema enim latinitate usus praepositionum magis magisque frequentatur paulatimque ita extenditur, ut terminationibus casuum deminutis diversae relationes praepositionibus reddantur, id quod in linguis romanicis longe praevalere notum est. sed iam in priore latinitate minus eleganti talia usitata sunt, ut afferunt exempla ex Plauto W. M. Lindsay, Syntax of Plautus p. 83, J. Wackernagel, Vorlesungen über Syntax II (1924) p. 216 s, ex bello Africano Koehler l. l. p. 433 s.

Quae cum ita sint, haud scio an huc pertineant hi loci Propertiani:

III 17, 24 Pentheos in triplices funera grata greges

IV 1, 84 et grave Saturni sidus in omne caput.

adiectiva *gratus* et *gravis* apud scriptores elegantes cum dativo coniuncta stare solent.[1]) quam ob ipsam rem existimatores in versu III 17, 24 offenderunt: codices deteriores praebent *tracta*, Passerat et Heinsius coniecturis *rapta* et *carpta* textum emendare sibi videbantur.

Praeterea Propertium frequenter praepositiones *a*, *de*, *ex* per abundantiam addere, ubi optimi scriptores eas omittunt ac nudos ablativos causae vel modi vel instrumenti ponunt, Uhlmann p. 45 s demonstrat.

Tum in hac parte non praetermittendum videtur Propertium septies pro comparativo absolutum adiectivum vocabulo *magis* addito ponere: I 4, 4 *magis assueto servitio;* 10, 27 *humilis magis et subiectus;* II 3, 10 *magis alba;* 9, 38 *tela acuta magis*; 49 *magis diris sub armis*; III 5, 48 *arma grata magis*; 22, 19 *apta magis tellus.*

Hic usus aperte orationem aliquantulum demissam redolet, ut ei indulgent posteriores auctores (Schmalz, Lat. Gramm.[4]

---

[1]) Iuncturae quae sunt Prop. II 10, 3 *fortes ad proelia;* 22, 20 *ad formosas caecus;* 34, 38 *tristis ad funera;* IV 2, 29 *sobrius ad lites;* 9, 40 *nunquam ad vastas irrita tela feras*, quoniam haec adiectiva absolute stare solent, poetica licentia oriuntur.

p. 613 s). praeterea memineris velim omnes fere linguas romanicas gradum comparativum ab illo latino vocabulo *magis* ducere (e. g. span. *más*, portug. *mais*, cf. Woelfflin, Lat. u. rom. Komparation p. 34). quodsi ad poetas Propertio aequales animos advertimus, eius indiligentia eo magis elucescit, quamquam complures iuncturas, quas supra commemoravimus, partim metro partim proprietate adiectivi comparativo carentis oriri concedimus.

Catullus habet quattuor exempla: 23, 13 *magis aridum*; 57, 8 *magis vorax*; 62, 58 *cara magis*; 68, 30 *magis miserum*. Horatius in carminibus permultos comparativos eosque partim communiter rariores usurpat (Vollmer p. 353), sed in sermonibus epistulisque: serm. I 2, 80 *nec magis tenerum*; 124 *magis alba*; 3, 142 *magis beatus*; 9, 50 *nec magis aliena*; II 4, 13 *magis alba*; epist. I 7, 43 *magis apta*. Vergilius bis tantum *magis* eo modo adhibet buc. 8, 48 s *crudelis tu quoque mater; crudelis mater magis an puer improbus ille?* Aen. V 725 *care magis*. illo loco *magis* vox suam habet vim, quia praecedit simplex forma *crudelis*. inepte eum exprimit Culex 291 *sed tu crudelis, crudelis tu magis Orpheu*, melius poeta Ovidianus her. 20, 103 *nam saevus et ille sit magis in natum saeva reperta parens* (cf. Leo, Culex p. 87). Tibullus omnino vocabulo *magis* caret, sed Lygdamus 1, 25 *caram magis*. Ovidius ex indice Burmanniano nihil nisi am. II 8, 4 *magis apta*, at minime id solum; nam J. Siebelis, Wörterbuch zu Ovids Metamorphosen dat s. v. *magis* I 182 *magis anxius*; II 856 *magis perlucida*; VII 130; XII 174; XV 317 *magis mirum*. ergo Propertius amplius ceteris poetis communi sermoni concedit.

Denique recte iam Uhlmann (p. 84) ad vulgaris sermonis ubertatem refert, quod comparativi et superlativi vis additis vocabulis augetur Prop. I 16, 17 *penitus crudelior* et II 25, 1 *unica nata meo pulcherrima cura dolori*.

c) De formis vulgaribus analogia ortis

In omnium linguarum primordiis, priusquam singulae formae, ut ita dicam, in solido locantur, multa alio aliunde mutuante varie inter se exaequantur. sed ubi primum illae statutae sunt, analogiae auctoritas in culta oratione certis finibus coercetur atque paulatim evanescit. contra in sermone vulgari porro suam obtinet vim, si quidem formae quaedam ad alias aut figuratione aut significatu similes accommodantur. nonnulla eiusmodi, quamvis vitiosa et soloeca putentur, haud raro etiam scriptoribus placent. ac ne Propertium quidem formas latinas analogia quadam ortas, quae a cultis auctoribus vitantur, respuere animadvertimus.

1) In declinatione

In sermone cottidiano gen. et dat. sing. pronominalium quae vocantur adiectivorum interdum contra morem ad communium adiectivorum declinationem diriguntur. sic apud Propertium legimus I 20, 35 *nullae debita curae (poma)* et III 11, 57 *urbs, toto quae praesidet orbi.* quas formas a bonis auctoribus plane reici Sommer (p. 440) docet: *nullae* enim praeter Propertium nemo nisi Coelius Antipater (Prisc. gramm. II 198, 4) et dativum *toto* post Propertium et Ovidium (am. III 3, 41 *quid queror et toto facio convicia caelo?* hunc locum Sommer praeterit) Curtius demum aliique posteriores et infimi usurpant.

uno dativi loco non est, quod Propertio assignemus. nam locos ab Hosio (p. 186) dubitanter prolatos

II 11, 3 s omnia crede mihi tecum uno munera lecto
auferet extremi funeris atra dies

34, 17 lecto te solum, lecto te deprecor uno

iure Rasner l. l. p. 59 s declinat et de II 1, 47 s

laus in amore mori: laus altera, si datur uno
posse frui: fruar o solus amore meo,

quo loco potissimum *uno* pro dativo peculiariter atque licenter stare opineris, Rothstein (ad h. l.) ablativum defendens considerate agit, cuius iudicio equidem prorsus subscribo.

Deinde Birt IV 10, 43 genetivum *illi* vulgarem loco sollemnis formae *illius* positum esse iudicat, ut Bausch permissu eius tradit in disputatione de ablativo Propertiano, quam supra (p. 7 adn. 1) commemoravimus, p. 39.

IV 10, 43 s illi virgatis iaculantis ab agmine bracis
torquis ab incisa decidit unca gula.

genetivum soloecum (Sommer p. 430 nullum affert exemplum) hoc loco pro explorato habere non audeo. tamen eo modo simplicem interpretationem illius versus difficillimi effici nemo non concedet; nam quod Hosius ex coniectura Schraderi praebet *illi virgatas maculanti sanguine bracas,* plura immutari quam ut verum reperiri existimetur, vix quisquam negabit. nec magis Rothsteinio suffragari possum, qui litteris codicum servatis dativum *illi* iuxta genetivum *iaculantis,* qui a voce *torquis* dependeat, probare studet; nam vereor, ne oratio hoc modo tantopere intricetur, ut latinitati vis fiat.[1]) quae cum ita sint, Birtii opinio digna quidem est, quam reputemus, nisi huic

[1]) Altero illo loco, quem Rothstein ad interpretationem firmandam laudat IV 7, 23 *at mihi non oculos quisquam inclamavit euntis* audacia dictionis collocatione verborum minuitur, praeterquam quod illud *mihi* pro dativo ethico positum per se multo minorem vim habet forma *illi* IV 10, 43 initio versus stante. huc accedit, quod formam *euntis* fortasse iure pro acc. plur. intellegimus.

versui crucem illam praeponere malumus, qua locus insanabili vulnere afflictus designetur.

Denique notatu digna est forma *utrosque* Prop. I 13, 20 *tantus erat demens inter utrosque furor* contra bonorum scriptorum usum ad duos homines comprehendendos adhibita; neque enim pluralis numerus illius vocis florente aetate legitimus est nisi de duobus globis hominum inter se litigantium aut de duabus rebus arcte inter se pertinentibus velut Verg. Aen. V 233; VI 685 *palmas utrasque* et Hor. serm. II 3, 284 *utrisque auribus et oculis.* in liberiore dictione pluralis forma, ut quae naturali cogitationi respondeat, eadem vi qua *uterque* celebratur, id quod praeter Propertium ex aequalibus auctoribus docent duo tantum exempla Ciceronis in epistulis obvia (ep. XII 13, 4; ad Att. XIV 14, 4) ac singula exempla Catulli Horatique. ille in poematio, quod infimo sono compositum de turpi Caesaris et Mamurrae consuetudine est (57, 3; 6), atque hic (serm. I 8, 25) de Canidia ministraque eius pluralem formam ponunt. inde a Livio ea frequentius occurrit argenteaque quae vocatur aetate in communi usu est.

2) In coniugatione

In formis verborum analogia quadam compositis praecipue usus deponentium Propertianus uberiorem inquisitionem exigit.

Complura verba, quae deponentium formam prae se ferre solent, active a Propertio ponuntur, id quod ad cottidiani sermonis indolem revocare licet.[1]) cf. Wackernagel l. l. I (1920) p. 133: In der wirklich lebendigen Rede erlosch der Gebrauch der Deponentia immer mehr.

I 6, 7 illa mihi totis argutat noctibus ignes
II 7, 15 quod si vera meae comitarent[2]) castra puellae
III 18, 29 hic olim ignaros luctus populavit Achivos
IV 9, 6 nauta per urbanas velificabat aquas.

Opportune accidit, quod de verbis *argutandi* et *comitandi* ex thesauro linguae latinae certum scimus: illud omnino cultis poetis deest, frequenter in comoediis occurrit. activas autem formas praeter Propertium Petronius (46, 1; 57, 8) usurpat Diomedesque vir grammaticus (Keil, Gramm. lat. I 33, 4) citat (thes. l. lat. II 556, 36 ss). *comitandi* verbum i. q. *comitem esse* activo genere primum legitur apud Propertium, compluries

---

[1]) Priscae latinitatis exempla post Neuium denuo summa cum diligentia persequitur J. B. Hofmann, De verbis quae in prisca latinitate exstant deponentibus (diss. Monic. 1910) p. 35 ss.

[2]) Fortasse rectius cum Italis et Birtio (cf. Rasner l. l. p. 67) legimus *comitarem.*

in Ovidi carminibus,[1]) saepe in posteriorum auctorum scriptis (thes. l. lat. III 1810, 56). *populandi* quidem verbum activo modo satis saepe occurrit (Neue III 80), sed *velificandi* vocem sic praeter Propertium nemo exhibet nisi quater Plinius scriptor demisso generi dicendi indulgens posteaque saepius scriptores ecclesiastici et scholiastae (Neue III 100).

Cum hac ratione, quam modo illustravimus, id convenit, quod in sermone vulgari formae verborum deponentium passivam significationem accipiunt, velut Marx auctorem incertum qui vocatur ad Herennium praeter alia vulgaris sermonis propria saepe pro passivo deponentia ponere commonefacit (praef. ed. mai. p. 174). eius quoque rei exemplum Propertio[2]) assignandum est.

Poeta Tarpeiam haec exclamantem facit IV 4, 33 s:

> o utinam ad vestros sedeam captiva penates,
> dum captiva mei conspicer esse Tati.

haec verba cum optimi codices tradant (V_2 pro *esse* habet *arma*), valde miror, quod Rothstein temere coniecturae Gronovii *ora* pro *esse* proponentis applaudit;[3]) neque enim quemquam fugiet, quam non legat ea coniectura vestigia codicum. ad hoc illa probata sincera verba poetae depravata stare ex contextu sermonis apparet; vis enim repetiti adiectivi *captiva* inserto substantivo *ora*, quamvis hoc pro inani vocabulo *esse* sermonem sublimem reddat atque uberiori descriptioni inserviat, labefactatur. potius haec sententia disticho inclusa est: „Gern will ich als Gefangene bei euch sitzen, wofern ich nur die Gefangene meines Tatius seiend erblickt werde.“ quaecumque alia cogitatio enuntiato infarcitur, eam de efficaci vi orationis multum demere persuasum habeo. ceterum *conspicer esse* pro simplici forma *sim* nihil habet offensionis, quia ipso conspectu hominum captivitas dedecori et infamiae fieri solet, atque de infinitivo *esse* abundanter posito conferas velim Prop. II 30, 12 *si modo praesentis viderit esse preces.*

---

[1]) Hic igitur, ut interdum observamus, ad inferiorem dictionem descendit. idem solus ex scriptoribus florentis aetatis non modo sicut alii multi participium passivum *comitatus* usurpat, sed etiam ponere audet trist. III 7, 47 *ingenio tamen ipse meo comitorque fruorque.* quae licentia excusationem rhetoricae annominationis habet. praeter hunc locum in thesauro laudatur Cic. de fin. II 60 *an est aliquid per se ipsum flagitium, etiamsi nulla comitetur infamia?* Madvig, cum in commentario hoc enuntiatum tacitum relinquat, *infamia* pro nominativo (fortasse rectius) habere videtur.

[2]) Participia passiva velut *emeritus*, *expertus* aliaque (Hosius p. 189), quippe quibus ne optimi quidem scriptores abstineant, nihil habent singulare.

[3]) [In altera editione modo publicata cum ceteris etiam Rothsteinium *esse* reservare hoc libello confecto addo.]

Qua interpretatione probata illud *conspicer* passive positum esse concedendum est idque mea quidem sententia instar familiaris consuetudinis; nam passiva significatio verbi *conspicandi* his tantum aliis testimoniis confirmatur: Varro (frg. Prisc. II 384, 2) θεωρεῖται = *conspicatur*; Sall. Iug. 49, 4 *Metellus monte degrediens cum exercitu conspicatur* (sic Don. in Ter. Eun. 384, codd. *conspicitur*); Apul. flor. 9 p. 32 *erat conspicatus;* Hilarius, Zeno, Mart. Cap. (cf. thes. l. lat. IV 498, 14). in horum numero quod Propertium poetam elegiacum Augusteae aetatis reperimus, satis mirum est.

Ceterae formae verborum in Properti carminibus memorabiles velut *largibar*, *poterentur* aliaeque (Hosius p. 189) vix ad genus familiare dicendi aspirant, sed liberiori sermoni poetico debentur. duae tamen earum, si recte video, e vulgari dictione irrepserunt: III 21, 32 *lenibunt.* Rothst.: das einzige Beispiel dieser alten Futurform in der augusteischen Poesie. secundum Neuium (III 324) post veteres scaenicos Luxorius demum et scriptores ecclesiastici talia futura haud dubie in inferiore latinitate semper trita in litteras accipiunt. II 15, 17 (ex certa emendatione) et 16, 23 *cubaris.* formam simpliciorem altera illa *cubui* scilicet *cubavi* easve, quae inde oriuntur, praeter Propertium exhibent Quintilianus ac scriptores ecclestiastici (thes. l. lat. IV 1277, 21 ss), *incubavi* Plin., Tert., Lact., Ps. Ascon., *supercubavi* Apul. (Neue III 375). Propertius igitur non modo neminem aequalem sui similem habet, sed nobis quidem omnino primus testis eius usus est.

3) In syntaxi

Prop. IV 1, 146 persuasae fallere rima sat est.
participium *persuasus* contra regulam stat per analogiam similium vocum velut *ratus*, *arbitratus.* ex naturali cogitatione is, qui persuasione, ut ita dicam, affectus est, ipse pro subiecto significatur. praeterea illa forma personaliter dicta, ut quae sententiam secundariam compenset, commoditati sermonis cottidiani inservit. talia per se falsa in omni lingua homines per languorem quendam usurpant, cf. id, quod nostrates interdum dicunt: gefolgt von . . . . , dies in Erfahrung gebracht teile ich mit . . . . . huic rationi usus illius participii latini respondet; invenitur enim auct. ad Her. I 9; 10; Caec. ap. Cic. ep. VI 7, 2; Bell. Afr. 55, 1; Petr. 81, 5; Val. Max. III 8, 1; V 9, 4; Plin. hist. nat. X 66; compluries Phaedr., Apul., Tert. his accedunt Propertius et Ovidius ars am. III 679 *iamdudum persuasus erit.*

Deinde commemoro Prop. II 8, 15 *ecquandone tibi liber*

sum visus? haec forma analogiam ducit ex *-ne* syllaba iis enuntiatis interrogativis apta, quae proprio pronomine carent („Satzfragen"). procul dubio *ecquandone* ex sermone vulgari proficiscitur, cui talis abundantia peculiaris est. cum Propertio illam formam habent Cic. de fin. V 63 in dialogo; Vell. Paterc. II 14, 2; Apul. apolog. 25, p. 34 (Draeger, Hist. Synt. I² p. 345).

d) De nonnullis aliis formis vulgaribus

Prop. III 17, 14 *accersitus,* IV 1, 73 *accersis.* de forma *accersendi* disserunt Keller, Lat. Volksetymologie p. 146 et Woelfflin, Arch. für lat. Lexikogr. VIII (1893) p. 279 s. ex huius disputatiuncula haec verba depromo: In der bürgerlichen Umgangssprache modelte man das Verbum in *accerso,* um dem Gefühle, daß mit demselben eine Annäherung *(ad)* bezeichnet werde, äußerlich Ausdruck zu geben. — sic illi viri docti abhinc triginta fere annos iudicaverunt. nos hodie thesauro linguae latinae duas illas formas comparare et persequi possumus, et quamquam Ernestus Bickel, qui materiam collegit, usum illarum propter inconstantiam librariorum certe discerni posse negat (thes. l. lat. II 448, 51 s), tamen nonnulla tam plana sunt, ut formam *accersendi* minus elegantem a cultis scriptoribus vitari bene intellegamus. hanc posteriores auctores velut Apul., Curt., Gell., Plin., Sen., Sil., Vell. haud dubie adamant, ex praecipuis scriptoribus florentis aetatis consensu omnium codicum praebent Caes. b. G. I 44, 2; Hor. epist. II 1, 168. illo loco Caesaris, ut qui rationem analogiae prorsus sequatur, Meuselium editorem, quandoquidem *arcessere* saepe in scriptis Caesarianis occurrit, recte contra codices hoc probare censeo, at iniuria mea quidem sententia Heinze editor immutat illud Horatianum *ex medio quia res accersit;* nam *ex medio accersere* proverbialiter stare videtur. *arcessendi* formam habent persaepe Cicero[1]) et Caesar, quater Vergilius, ter Horatius,[2]) semel Tibullus. de Ovidi usu nihil certi iudicare possum, quoniam ad eum investigandum (am. III 2, 37; fast. IV 263; met. VI 652; XV 640) nobis editione critica amorum fastorumque opus est, et codices metamorphoseon inter se discrepant. Magnus editor praefert *accersere.* ceterum locutio Prop. IV 1, 73 *accersis lacrimas* per se ipsa vulgarem dictionem redolere videtur (cf. infra p. 69).

---

[1]) R. Klotz, Rh. Mus. 68 (1913) p. 482 adnot. 2: Unter mehr als 30 Beispielen schwankt die Ueberlieferung nur an folgenden Stellen: Verr. II 142; IV 76; 115; dom. 5; 94; Sest. 11; Cael. 19. An allen übrigen haben sämtliche maßgebenden Handschriften *arcess-*: Cicero hat also *arcessere* geschrieben.

[2]) In codice E semper *accersendi* forma legitur.

Prop. II 23, 22 *me iuerint.* eandem formam adhibet Catullus 66, 18 *ita me divi iuerint,* isque, quod notes velim, in locutione haud dubie tritissima. praeter hos Plancus ponit ap. Cic. ep. X 17, 2 *iuare* et 24, 7 *iuero* ex fide Medicei codicis, quem recte Mendelsohn contra alios editores sequitur.

Prop. III 6, 39 *torquerier.* haec infinitivi terminatio ad sermonem cottidianum quidem non pertinet; iam enim Plautina aetate paulum obsoletior et communi usui elapsa est (cf. Jacobsohn, Quaestiones Plautinae. diss. Gott. 1904 p. 8 ss). sed cultos poetas illi vix locum relinquere apparet; nam Lucretius Vergiliusque consulto veteres formas affectant, ut inveniuntur apud Vergilium ex sex eiusmodi infinitivis quinque in Aeneide. Catullus praebet quattuor exempla atque Horatius octo quidem in sermonibus epistulisque, sed unum in carminibus IV 11, 8 *avet immolato spargier agno.* hoc poemation inferiori dictioni accommodatum esse Heinze compluribus indiciis luculente docet, ad *spargier:* Die archaische Infinitivform soll läßlich wirken. denique non praetereundum videtur apud Tibullum nullum, in tota poesi Ovidiana unum exemplum (met. II 741 *scitarier*) exstare.

Prop. II 7, 2 s *flemus uterque diu, ni nos divideret.* vocabulum *ni* vi prohibitiva pro *ne* stat, id quod in vetere latinitate reperimus (Norden, Aen. VI p. 232 s).[1]) etiam hunc usum, utpote qui in inscriptionibus aetatis Propertianae compareat (cf. Rothst. ad h. l.), vulgari consuetudini adscribere licet.

II. De electu verborum

Tibullum summa cum diligentia vitare, quidquid aut ab urbano sermone alienum est aut dictioni poeticae obstat, Buerger illa commentatione quae est de puritate sermonis Tibulliani (cf. supra p. 8) bene demonstrat. Propertius ut omnino contra illum stans talia nihil curat; nam magna cum licentia aut etiam neglegentia in carminibus ponit cum nonnulla vocabula proprie plebeia tum multa, quae sublimiori poesi parum conveniant, non ut per se humilia, sed tamen ut solutae orationi peculiaria, quippe quibus aut communiter res designentur aut relationes quaedam logicae pedestri more exprimantur. vocabula eiusmodi in hac parte usu aliorum scriptorum quam maxime collato enotaturus sum, alia, quae ipsa quoque ex lingua populari proficiscuntur, quia notiones iis insitae magni momenti sunt, in tertia demum parte, quae est de elocutione Propertiana, considerare commodius est.

[1]) Rothstein praeter exempla Lucretiana affert Cat. 61, 153 et Verg. Aen. III 686. hoc loco Norden (l. l.) *ni* improbat, illo forma, ut quae in bonis codicibus scripta inveniatur, recte videtur stare.

a) De substantivis

Properti carmina vocabulis Graecae originis uberrima sunt. cf. Norden, Einl. i. d. Altertumswissensch.[3] I 4 p. 61: Als etwas für die λέξις im einzelnen Charakteristisches sei erwähnt, daß er mehr griechische Worte (die Eigennamen nicht mitgerechnet) hat als Vergil, Horaz und Tibull zusammen. hoc in electu verborum taxando non est praetermittendum; nam et elegantes scriptores poetaeque aetatis Propertianae peregrinis verbis quam maxime abstinent et in vulgari usu multa ad cottidianam vitam pertinentia Graece nominantur, id quod e. g. ex Horati sermonibus vel plebeis inscriptionibus discimus.

Sed omnia eiusmodi vocabula, quae habet Propertius, perlustrare absurdum est, quia multa apud omnes poetas magis minusve occurrunt et haud ita pauca Graecis fabulis tam frequenter ab illo adhibitis continentur. nihilo secius nonnullas observatiunculas proferre liceat, quibus dictio Propertiana quodammodo illustretur.

beryllus Prop. IV 7, 9; praeterea eadem fere aetate Maec. carm. frg. 1, 2; eleg. in Maec. 1, 19; postea autem Curt. et Plin.

crystallus Prop. IV 3, 52 *crystallusque meas ornet aquosa manus.* aperte de re in cultu corporis usitata. praeter Propertium posterioresque auctores praebent substantivum Cinna frg. 6; Ov. frg. 8; Priap. 63, 6.

cyclas „Rundrock" Prop. IV 7, 40; post hunc Iuvenalis demum vocabulum ponit.

cymbium Prop. III 8, 4; praeterea florente aetate bis Verg. (Aen. III 66 et V 267).

crotalistria „Kastagnettentänzerin" Prop. IV 8, 39; praeter hunc nemo nisi Publilius Syrus (Petr. 55, 6) isque poetica licentia de ciconia.

nanus Prop. IV 8, 41. Rothst.: technische Bezeichnung für diese Liebhaberei. περὶ ὕψους c. 44 τὰ γλωττόκομα, ἐν οἷς οἱ πυγμαῖοι, καλούμενοι δὲ νᾶνοι, τρέφονται. apud Gellium (XIX 13) illud vocabulum sordidum et barbarum esse Fronto credit, cui Apollinaris in dialogo respondens id in consuetudine imperiti vulgi frequens, non barbarum esse iudicat. ceterum apud nullum poetam Propertio aequalem illud substantivum reperitur.

Praeterea quattuor substantiva in Properti carminibus inveniuntur, quae secundum pedestrem morem stant: *effectus* I 10, 28;[1]) III 9, 27; 23, 10. *offensa* IV 11, 90.[2]) *reverentia*

[1]) Cum Rothsteinio probo Italorum coniecturam *effectu* (probi codices *effecto*): *hoc magis effectu saepe fruare bono* propter similitudinem sententiae III 23, 10 *semper et effectus promeruere bonos.* mutatio *effectu—effecto* levissima est.

[2]) Praeterea III 8, 40 *offensam* O, sed recte participii forma *offensa* ς. ex editoribus solus Phillimore illud retinet, quod mihi plane sensu carere videtur.

III 13, 13. *sepultura* II 28, 26. ex quibus nullo poetae aequales utuntur nisi Ovidius ex indice Burmanniano in infinita multitudine versuum *effectus* 5ies, *offensa* 6ies, *reverentia* 10ies. vocem *offensae* Cicero miro modo utique spernit, sed Atticus, cuius verba ille reddit (ad Att. II a 2 *quod negas te dubitare, quia magna in offensa sim apud Pompeium*) atque Caelius (ap. Cic. ep. VIII 16, 2) adhibent. Schmalz in Antibarbaro s. v. *offensa:* es ist ein vulgäres Wort.

Huc accedunt deminutiva, quae supra tractata sunt.

b) De adiectivis

Tria digna sunt, quae commemorentur:

lassus Prop. 6ies.[1]) adiectivum haud dubie vulgarem dictionem redolet (cf. Buerger l. l. p. 386; Schmalz, Antibarbarus s. v. *lassare: lassus* „müde" ist so wenig klassisch als *lassare;* bei Cicero und Caesar steht es gar nicht). usum addo Horati: *fessus* 6ies in carminibus, 5ies in hexametris, semel in iambis, at *lassus* 6ies in hexametris, semel in iambis, praeterea c. II 6, 7 *sit domus* (Peerlkamp, codd. *modus*) *lasso maris et viarum militiaeque.* poeta audaci iunctura *lassus* c. gen. vocem sublimem reddit.

minutus Prop. ter. praeter hunc ex poetis illius aetatis adiectivum praebet semel Catullus (25, 12). Cicero, si non omnino id respuit, at certe haud ita saepenumero usurpat idque frequentissime in libris de philosophia. posteriores scriptores velut Seneca, Phaedrus, Plinius illud passim exhibent.

reverens Prop. II 30, 33. adiectivum non minus eiusdem stirpis substantivo *reverentia* a poetis alienum est (Rothst. ad h. l.).

c) De pronominibus

Propertium pronominibus abundare — e. g. *iste* vocem sermonis vulgaris propriam (cf. Norden, Aen. VI p. 120) 40ies fere adhibet, quam Tibullus quater et Horatius in carminibus minime ponunt — infra, si de monstrativo genere dicendi disputabimus, diligentius enarrandum erit. hoc loco commemoro illum vestigia pedestris sermonis secutum *quilibet* (6ies) ac *quivis* (9ies) frequentare, quae vocabula Vergilius (praeter Aen. VIII 577) et Tibullus et Horatius in carminibus (praeter c. I 37, 10 et III 3, 38) plane vitant. nec minus Propertio, ut consectatur pro vigore et alacritate sermonis verba super-

---

[1]) Contra Phillimorum, qui septem locos in indice citat, dicendum est Italos codices II 15, 7 recte praebere *lapsos* pro *lassos: illa meos somno lapsos patefecit ocellos* (cf. I 10, 7 *quamvis labentes premeret mihi somnus ocellos*). *somno lassus* iunctura sensu haud scio an careat.

lata, formationes in *-cumque* cadentes placent, e. g. *quicumque* 42ies (id sane Tibullus 12ies), *qualiscumque* quater, quod vocabulum nemo poeta aequalis praeter Horatium (semel: serm. I 10, 88) et Ovidium (bis: met. II 487 et XI 288) exhibet, *quandocumque* bis, quod legimus singulis locis apud auctorem paneg. Mess. (Ps. Tib. III 210) et Ovidium (met. VI 544) et ter in Horati sermonibus epistulisque (serm. I 9, 33; epist. I 14, 17; 16, 58).

Praeterea Propertium pronomina in *-cumque* exeuntia, quae in bona latinitate relativam vim habere solent, saepe indefinito sensu sicut posteriores ponere (Rothst. ad I 8, 34), *nullus* et *ullus* frequenter substantivi loco habere (Rothst. ad I 8, 21), *tanti* et *quanti* pro *tot* et *quot* (cf. Loefstedt l. l. p. 147) ac *toti* pro *omnes* usurpare Uhlmann l. l. p. 85 s satis demonstrat. sed restant, quae huc pertinere mihi videantur.

II 30, 7 s instat semper Amor supra caput: instat amanti,
et gravis ipse super libera colla sedet
III 21, 4 ss ipse alimenta sibi maxima praebet Amor.
omnia sunt temptata mihi, quacumque fugari
possit; at ex omni me premit ipse deus.

Ad II 30, 8 Rothst.: Ausdrücklich wird betont, daß er seine Opfer in eigener Person packt. sed quis alius id faciat nisi is, qui instat amanti, scilicet Amor? altero loco Rothstein *iste* pro *ipse* in textu ponit. equidem malim utroque loco vocabulum *ipse* sine propria vi retineatur; nam fortasse iam Propertius eum usum illius pronominis praebet, quem in posteriore latinitate apud deteriores scriptores observamus, si quidem vox *ipse* articuli quasi vicem tenet, id quod haud dubie e sermone vulgari irrepsit (cf. Loefstedt l. l. p. 64; Muller, Indogerm. Forsch. XLII 1924 p. 2; Wackernagel l. l. II p. 130). ex permultis exemplis affero Buech. carm. lat. epigr. 555, 2 *quem lapis ipse tegit,* at 6 *quem lapis iste tegit.*

Denique pauca verba facienda sunt de Prop. I 4, 21 *circum omnes alias puellas.* cf. Marx ad Lucil. 424: „*alii* = *reliqui* est vulgaris sermonis". exempla affert ex Terentio Sallustioque. idem vir doctus in editione auct. ad Her. p. 170 eandem rem tractat exemplisque confirmat. sic ille universe de eo significatu. praecipue autem iunctura *alii omnes,* praeterquam quod neutrum *alia omnia* satis saepe occurrit, a bonis auctoribus vitatur; nam illam auctore ad Her., Sallustio Livioque exceptis nemo, quantum video, florente aetate habet nisi Cic. Verr. III 27; pro Cluent. 151; Lygd. 4, 93; Prop. I 4, 21.[1])

[1]) Vix huc pertinet Cic. ep. I 2, 3 *ut mihi viderer animum hominis ab omni alia cogitatione ad tuam dignitatem tuendam traducere.* hoc loco

d) De verbis

Uhlmann, cum de syntaxi verbi Propertiana agit (p. 87 et de singulis casibus p. 22 ss), omnia ea verba enumerat, quae eodem modo atque in huius poetae carminibus nisi in familiari sermone non usurpantur velut *argutare, defieri, detinere,*[1]) *disperire, iugulare, madere, plorare, sibilare, terere, vapulare, vellicare.* equidem addo *vapulandi* verbum (Prop. II 12, 20 *non ego, sed tenuis vapulat umbra mea*) post comicos poetas classica quae vocatur aetate nusquam inveniri videri nisi Lucr. IV 936; Varr. rer. rust. I 55, 1; Cic. ad Att. II 14, 1; Cael. ap. Cic. ep. VIII 1, 4; Prop. l. l. postea Seneca frequenter id offert. de verbo *vellicandi* Rothst. ad II 5, 8: *vellicare* ist ein Wort der Umgangssprache, dem höheren poetischen Stil, wie es scheint, sonst fremd.

Ad haec verba pauca addenda sunt, quae magis minusve vulgarem vel pedestrem notam prae se ferunt: *ambulare* Prop. II 4, 13; III 16, 13. quamquam permultis eius verbi formis in versibus dactylicis nullus est locus, tamen non praetereundum videtur praeter Propertium nullum poetam nisi Horatium 5ies in sermonibus (nunquam in carminibus nisi c. IV 5, 17,[2]) semel in iambis) et Ovidium bis (ars am. III 304; fast. I 122) illo uti. *contendere* i. q. *studere* c. inf. Prop. I 4, 15; Ps. Tib. paneg. Mess. 31. *facere* „passen" Prop. III 1, 20. sane quidem 8ies Ovidius, sed praeter hunc posteriores demum tali vi verbum adamant velut Colum., Petron., Scrib. Larg. (thes. l. lat. VI 122, 42 ss). *percontari*[3]) Prop. II 22, 23;

---

vocabulum *omnis* sine certa significatione stat: *omnis* „jedweder, nur denkbarer". — ceterum Heyii de vocabulo *alius* tractatus in thes. l. lat. non plenus est, quoniam et alterum locum Ciceronianum et versum Lygdami praetermittit (cf. I 1648, 16 ss).

[1]) Hoc ut multa ab Uhlmanno non satis accurate statuitur; nam cf. Tib. I 8, 20 *cantus et iratae detinet anguis iter* simillime atque Prop. III 2, 1 *Orphea detinuisse feras . . . . . dicunt.*

[2]) *tutus bos etenim rura perambulat.* quamvis celsa sit oratio per totum carmen, hoc loco verbum commodissime de bove ponitur.

[3]) Huic verbo (Verrius Flaccus: *ex nautico usu, quia conto pertentant navigantes aquae altitudinem*) crassa quaedam translatio inest, qua in sermone familiari res humiles ad vitam cottidianam pertinentes in comparationem vocari solent. de hac consuetudine loquendi cf. infra p. 64 ss. attamen hoc verbum, quippe quod in cultiore oratione soluta, quamvis a poetis alienum sit, non vitetur, iam in hac parte commentationis afferre commodius est. ceterum in codicibus gemellis DV legimus Prop. II 22, 23 *percontere,* in ceteris *percuntare* vel *percunctere.* haec formatio ex illa per etymologiam vulgarem orta (cf. Keller l. l. p. 108) iam florente aetate usitata est (cf. Skutsch in Stowassers Lat.-deutsch. Schulwörterbuch s. v. *percontari*). quamobrem illo loco Propertiano et codices DV correcturam posteriorem praebere et Propertium vulgarem formam similiter atque *accersere* (cf. supra p. 38) usurpare recte iudicabimus.

Hor. in hexametris 7ies. *ponderare* Prop. II 16, 12. *resupinare* Prop. IV 8, 51. *suppetere* Prop. IV 2, 37; Hor. ep. 17, 64; epist. I 12, 4. *venerari* Prop. III 5, 1 *pacis Amor deus est, pacem veneramur amantes* communi sensu positum est qui est „Gefallen finden, ehren". hanc vim verbi posteriore aetate apud auctores percrebrescere docet Schmalz in Antibarbaro s. v. *venerandus.* iam antea illam vim cottidiani sermonis propriam esse ex Hor. epist. II 1, 263 *quod quis deridet quam quod probat et veneratur* apparere videtur.

e) De adverbiis, particulis, coniunctionibus[1])

Propertius permagnam copiam adverbiorum, particularum, coniunctionum exhibet, quae ut pedestri sermoni peculiaria in culta poesi satis rara sunt. sed omnia ea vocabula notare, quibus ille utitur, Tibullus[2]) et Horatius poeta lyricus abstinent, inutile est minimeque aptum ad elocutinem Propertianam aestimandam, quandoquidem ii τῷ ἰσχνῷ indulgentes propriam puritatem sermonis affectant, qualem neque Vergilius neque Ovidius curant, nedum Propertium poetam vehementissimum cum iis conferamus. sed hunc usurpationem talium vocabulorum longius proferre demonstrari potest; inveniuntur enim, quae etiam a Vergilio copioso poeta vitentur aut ob alias causas ab oratione poetica abiudicanda, quin etiam sermoni vulgari attribuenda sint.

dehinc adverbium Propertius correlative in enumeratione usurpat II 3, 49 s *primo-dehinc.* quod quoniam praeterea apud Varronem, Sallustium posterioresque solum legitur et omnino vox ante Tacitum raro occurrit (apud Caesarem Ciceronemque

---

1) cf. Uhlmann pp. 83 s, 87 s. nonnulla ex eius libello iteravi, plerumque ad id ipsum, ut fusius tractentur ac nota vulgaris clarius designetur. ille enim, ut exemplum afferam, cum inter Umbri poetae proprietates usum adverbii *nequiquam* commemorat addens „uno loco est apud Cic. in orat. (Quinct. 79), qui fortasse sequitur Terentium", ne obliviscamur Vergilium illud adverbium 42ies adhibere et Horatium ter in carminibus, ita ut unus locus Propertianus omnino nihil valeat ad dictionem huius poetae iudicandam. idem dici potest de vocabulo *postmodo,* quo etiam Tibullum (II 5, 102) uti meminerimus, aliisque, quae Uhlmann ut vulgaria affert. ceterum in aliis quoque partibus eius commentationis talis indiligentiae exempla inveniuntur. ille cum dicit (p. 60) usum, quo alteri coniunctivi personae pro imperativo stanti negatio additur, ab optimorum scriptorum dictione abhorrentem apud alios poetas non exstare, a Propertio semel praeberi II 3, 26 *ne putes,* notes velim Tibullum poetam elegantissimum duo exempla exhibere I 8, 29 *munera ne poscas* et II 6, 28 *ne vincas.* similiter Tibullus *ne* c. imperativo coniungit (I 1, 67; 2, 15; 35; 9, 17), id quod Uhlmann solis vulgaris sermonis scriptoribus assignat (p. 60 s).

2) Buerger l. l. p. 381: Tibullus hat nicht *nequiquam, pote, saltem, scilicet, quippe, cur, vix, quare, quoniam, quivis, nemo, equidem, ecquis, ecquando, vesanus.*

nunquam), sed ab auctoribus quibusdam, quos vulgariter eloqui inter omnes constat, velut ab Apuleio ac Tertulliano in deliciis habetur (thes. l. lat. V 388, 68 ss), vulgarem usum deprehendere mihi videor. id pro certo haberi potest de voce *equidem*, quam Propertium II 31, 5 *hic equidem Phoebo visus mihi pulchrior ipso marmoreus* pro simplici vocabulo *quidem* usurpare ideo memoratu dignum est, quia inde a Cicerone, qui praecipue in epistulis ad Atticum *equidem* frequentat, elegantes auctores hoc sic ponere solent, ut primae personae verbi adiungatur. contra alter usus liberior, quamquam etymologiae vocabuli ex littera *e*, quae demonstrativa vi praefixa est, atque adverbio *quidem* compositi[1]) respondet, apud scriptores minus cultos secundum sermonem cottidianum occurrit (cf. H. Jordan, Kritische Beiträge zur Geschichte der lateinischen Sprache p. 314 ss).

II 12, 5 *idem non frustra ventosas addidit alas. non frustra* propria vi (*fraus*, *fraudare*) „nicht unrichtig", quem usum quoniam in latinitate et prisca et posteriore animadvertimus (cf. Rothst. ad h. l.), satis probabiliter ex sermone populari ducimus.

idcirco Prop. II 18, 32; 22, 27; 33, 14. praeterea ex poetis aequalibus Verg. ter (bis in georg. poemati didascalico: I 231; III 445; Aen. V 680), Hor. quater in hexametris, Ov. ter in metamorphosibus (fortasse etiam in ceteris carminibus). huc accedit in pessimo carmine Ps. Verg. catalept. IX 7.

igitur Prop. 12^{ies}, Verg. ter (buc. VII 18; bis in orationibus Aeneidos: IV 537 et IX 199), Hor. 6^{ies} in sermonibus, Tib. nunquam, sed Ps. Tib. paneg. Mess. 161.

inprimis sine dubio prosae orationis est. tamen Propertius ter (II 24, 17; 24; IV 8, 7) adverbium ponit, quod ex poetis aequalibus Horatius solus uno loco (serm. II 2, 71) usurpat.

libenter adverbium, cum adiectivum *libens* passim occurrat, Propertius bis (I 6, 27; II 33, 41) et Horatius 6^{ies} (in hexametris) soli praebent.

magis pro *potius* Prop. 6^{ies}: I 4, 4 (nisi *magis assueto* pro comparativo intellegimus, cf. supra p. 32); 11, 9; II 3, 53; 13, 7; 14, 19; IV 8, 16. hoc Cic. ad Att. X 8, 2, Sall. Jug. 85, 49, aliquoties apud Livium, frequentissime in posteriore latinitate reperitur. usus Propertianus aperte sermone cottidiano proficiscitur.

nimirum Prop. III 8, 9, Verg. semel (Aen. III 558) in oratione, Hor. 6^{ies} in hexametris.

---

[1]) Hand, Tursellinus II 424; Ribbeck, Lateinische Partikel p. 26 ss; Wackernagel, Beiträge zum griech. Akkent p. 22. aliter iudicat de etymologia Skutsch, Hermes 32 (1897) p. 94 ss = Kl. Schr. p. 116 s.

nondum etiam Prop. I 3, 11 et II 10, 25. *etiam* per abundantiam stat (cf. Loefstedt l. l. p. 95). simillime legimus I 9, 17 *necdum etiam.*[1])

quare ad conclusionem introducendam Prop. 6^{ies}. de hoc usu prorsus pedestri minimeque orationi poeticae apto nuperrime Hermannus Diels, Lukrez-Studien IV. Sitzungsber. Berl. Akad. 1922 p. 47: praeter Lucretium ac Propertium Horatius bis in sermonibus (I 2, 77 et II 3, 176) atque Vergilius 5^{ies} in formula *quare age* (*agite*) vocabulum illo modo exhibent.

satius adv. pro *potius* Prop. II 34, 31. cf. Rothst. ad h. l.: *satius* wird von den Schriftstellern der guten Zeit in der Regel nur prädikativ gebraucht; als Adverb, wie hier, findet es sich bei Varro rer. rust. I 2, 26.

solum adv. Prop. 6^{ies}, Verg. semel (buc. V 48), Cat. ter, Hor. bis in hexametris, Ov. met. quater, Ps. Tib. paneg. Mess. 192. *tantum* . . *modo* Prop. II 34, 14. sane quidem etiam Ov. met. 5^{ies}, sed praeter hunc ex poetis aequalibus solus Hor. serm. I 9, 54.

Deinde in carminibus Propertianis vulgaris usus negationum apparet.

III 21, 7 *vix tamen aut semel admittit.* quod Rothstein *vix* pro negatione paene („beinahe") positum esse iudicat, equidem vocabulo planam negationem substitui censeo, ut ex ipsa iunctura *vix aut semel* dilucide intellegimus. simillime illud stat II 4, 31 s

alter saepe uno mutat praecordia verbo,
altera vix ipso sanguine mollis erit.

nam antithesis expressam negationem exigit. haec amplior significatio in urbano sermone adverbii *vix* propria est, ut est usitata talis λιτότης.[2]) in exemplo illo attenuati generis auct. ad Her. IV 10, 14, ad quod iam supra dictionem Propertianam revocavimus, adulescens quidam sic respondet: *vix, tamen sine me considerare.*

---

[1]) *necdum etiam* iuncturam praeter alios etiam Vergilius ter ponit.

[2]) Etiam *magis* pro *potius* (cf. supra p. 45) huc pertinere mihi videtur; nam illud minorem oppositionem designat hoc vocabulo. praeterea ad talismodi dictionem illustrandam cito Prop. I 1, 22 *et facite illa meo palleat ore magis.* hoc poeta dicit, quamquam Cynthia omnino nondum pallet. falso igitur mea quidem sententia Hollstein (l. l. [p. 2] p. 63) in hoc carmine tractando *meo ore* pro ablativo comparativo intellegit. equidem cum ceteris interpretibus ablativum instrumenti exstare iudico. ceterum de universa huiusmodi dictione nuperrime luculente egit Wackernagel l. l. II p. 254, cuius verba nonnulla ad eam rem spectantia exscribo: Behutsamkeit oder Höflichkeit oder Ironie kann dazu führen, daß man, statt ausdrücklich zu negieren, die Geltung der Aussage auf ein kleines Maß beschränkt . . . . . Die Emphase, womit solche Wörter gebraucht werden, hat dazu geführt, daß sie stärker wirken als die schlichten Verneinungen.

Tum breviter commemoro Prop. II 19, 5 et III 13, 23 s. *nulla nec (neque) — nec (neque).* Rothst.: in der lebendigen Sprache, z. B. in Ciceros Briefen, durchaus üblich.

Clarius vulgaris usus elucet ex Prop. II 19, 32 *absenti nemo ne nocuisse velit* „damit niemand der Fernweilenden Schaden zuzufügen sich gelüstet". consuetudine duo vocabula negantia corroborative ponendi, quam in nostro quoque sermone vulgari tritam esse nemo ignorat, omnes culti auctores latini abstinent. eius proprietatis testes ex vetusta vel posteriore latinitate vocare supersedeo, ut quam rem artes grammaticae satis explanent (praecipue H. Ziemer, Junggrammatische Streifzüge im Gebiet der Syntax p. 141). hoc tantum addo in poesi aetatis florentis praeter Propertium Sulpiciam poetriam incultam (Ps. Tib. IV 7, 8) eandem iuncturam *ne nemo* exhibere. sed quod Rothstein grammaticos secutus citat Ov. Pont. I 1, 65 s

mors faciet certe, ne sim, cum venerit, exsul:
ne non peccarim, mors quoque non faciet,

hic locus ad rem ipsam non pertinet; nam Ovidius, si recte video, oppositionis causa rhetorica vi consulto negationem contra regulam grammaticam duplicat.

Denique de coniunctionibus hypotacticis pauca verba facere opus est. rursus enim Propertium vocabula eiusmodi usurpare videmus, quae ut sane pedestria apud alios poetas rarissime exstent:[1])

nedum Prop. I 4, 9 et 9, 32; Hor. a. p. 69.

cum praesertim Prop. I 2, 27; *praesertim quibus* Cat. 10, 12; *praesertim si* Verg. georg. I 115 et II 310; *praesertim* Hor. ter in hexametris.

Prop. II 4, 1 s his saltem ut tenear iam finibus, aut mihi [si quis,
acrius ut moriar, venerit alter amor.

cum et in prisca et in posteriore latinitate saepenumero sententiae optativae vocabulo *ut* inchoentur, florente aetate rara exempla invenias (cf. Birt, Berl. philolog. Wochenschr. 1898 col. 1286: *ut* statt *utinam* Rarität in der augusteischen Literatur). investiganti mihi occurrerunt hi loci talismodi: Cic. ep. XVI 12, 4; Verg. Aen. X 631 et XI 153; Hor. serm. II 1, 43; Ov. her. 13, 161.

---

[1]) De Ovidi usu ut iam in prioribus partibus nihil certi afferri potest, quia plenus index verborum deest. universe autem mea quidem sententia iudicandum est illum, utpote qui et tot milia versuum composuerit et sescentas narrationes simpliciter explicatas praebeat, illas coniunctiones pedestres — tamen *nedum* et *praesertim* in metamorphosibus deesse ex indice Siebelii certo scio — frequentare, quae solae quidem sermonis colorem minus significant, aliis autem vestigiis neglegentis elocutionis ut in Properti carminibus observatis nequaquam transeundae sunt.

Ad hoc de coniunctione *si* nonnulla memoranda sunt: *si* coniunctio interrogativa i. q. nostrum „ob“ Prop. 6ies. hic usus ex vulgari consuetudine repetitur, cf. Marx, Neue Jahrb. XXIII 1909 p. 445.
etsi Prop. II 2, 16 et 19, 1; Cat. ter; Verg. semel (Aen. IX 44; praeterea loco interpolato II 583); Ciris auct. bis; Lygd. semel.
quodsi Prop. non minus quam 21ies; Cat. ter; Verg. 5ies; Cir. auct. ter; Tib. bis; Ps. Tib. III et IV ter; Hor. 17ies (ter in carminibus lyricis, ter in epodis, ceteroquin in hexametris).
si minus, at Prop. IV 4, 57. haec locutio sublimi poesi haud scio an non conveniat.

f) De locutionibus quibusdam sermone cottidiano oriundis

I 6, 36 *vivere me duro sidere certus eris.* — *certus sum* pro *certo scio* c. acc. c. inf. exstat Cic. ad Att. II 19, 5; Val. Flacc. 1, 59; saepius Sil., Plin., saepissime Apul., Tertull. (thes. l. lat. III 920, 24 ss).

9, 1 *dicebam tibi venturos irrisor amores.* cf. Rothst.: *dicebam tibi* muß in der römischen Umgangssprache häufig angewendet worden sein in dem Sinne „ich habe dich zu rechter Zeit gewarnt, und du hast nun den Schaden davon, daß du nicht auf mich gehört hast“. Ov. am. I 14, 1; Plaut. Asin. 938; Sen. apoc. 12, 2.

9, 13 *i quaeso et . . . . compone*: II 29, 22 *i nunc et . . . . disce*; III 7, 29 *ite . . . . et . . . . texite;* 18, 17 *i nunc*; *tolle animos et finge.* Rothst.: *i* oder *ite* als Einleitung zu einer Aufforderung erinnert an die Sprache des gewöhnlichen Lebens. eundem imperativum propria significatione carentem ponit Hor. serm. I 10, 92; epist. I 6, 17 et II 2, 76. at proprie imperativus stat Hor. c. III 11, 50 s *i . . . . et scalpe;* 14, 17 *i, pete unguentum, puer;* epist. I 7, 71 *nunc i, rem strenuus auge.* etiam Prop. III 23, 23 *i puer et . . . . . propone* huc pertinet.

15, 28 *si quid forte tibi durius inciderit.* — *si quid durius* poeta e sermone cottidiano haurit; nam et homines δι᾽ εὐφημίας dicere solent neque casu fit, ut eadem locutio apud Caesarem (b. G. I 48, 6; b. c. III 94, 5) et Plancum in epistula (ap. Cic. ep. X 21, 2) reperiatur (Rothst. ad h. l.).

19, 2 *nec moror extremo debita fata rogo.* de usu formulae contritae *non (nil) moror* cf. Brix, Plaut. Trin. 297 et Heinze, Hor. epist. I 15, 16.

II 1, 16 maxima de nihilo nascitur historia
3, 16 non sum de nihilo blandus amator ego
16, 52 nec sic de nihilo fulminis ira cadit.

formam *nihilo* praeter Propertium Catullus atque Horatius in sermonibus et epistulis ponunt iique semper, id quod etiam in eleganti oratione invenitur, pro ablativo mensurae cum comparativis coniuncto. itaque quod Propertius ter praebet *de nihilo*, hoc propter ipsam formam ad inferiorem dictionem spectat.[1]) praeterea significatus locutionis vulgarem usum redolet. ut omnino in sermone cottidiano pro infinita cogitatione aliquid certi quam maxime pronuntiari solet, *de nihilo* locutionem plus habere roboris aliqua universa voce velut *casu* vel *sine causa* minime negari potest. haec perspicuitas dictionis II 16, 52 vocabulo *sic* abundanter addito[2]) augetur, quo δεικτικῶς contemptio quaedam indicatur.

15, 22 *viderit haec, si quam iam peperisse pudet.* Rothst.: *viderit haec* stehende Formel für die Ablehnung eines Gedankens im Sinn einer überlegenden Abweisung. exempla dat ex epistulis Ciceronianis.[3])

50 *omnia si dederis oscula pauca dabis.* Rothst.: Man muß konstruieren *omnia dederis, si oscula pauca dabis.* Properz knüpft ohne Zweifel an eine volkstümliche Wendung an, die auch Cicero in einem Briefe an Tiro gebraucht: ep. XVI 13 *omnia a te data mihi putabo, si te valentem videro.* attamen haec collocatio verborum tam audax est, ut de Rothsteinii interpretatione dubitari possit. Friedrich infeliciter in commentario Catulliano (pp. 112 et 555) proponit: *si omnia oscula dederis, pauca dabis.* qua sententia probata haud dubie vis enuntiationis imminuitur, quam vocabulum *omnia* absolute stans optime efficit. sed fortasse sic verba in ordinem redigemus: *omnia, si dederis oscula pauca, dabis.* hoc modo interpretatio Rothsteinii servatur, verborum structurae vis non fit.

17, 17 *quod quamvis ita sit.* hoc enuntiatum non per se humilis, sed tamen plane pedestris usus est.[4])

---

[1]) Lucreti iuncturae *de nihilo* et *ad nihilum* passim obviae necessario e Graeco conversae sunt.

[2]) Similiter III 6, 9 *sicine eam incomptis vidisti flere capillis?* quo loco *sic* insequentibus verbis quasi explanatur. cf. etiam infra p. 62 s.

[3]) Reitzenstein, Deutsche Literaturz. 1898 col. 957, ut interpretationem suam plane improbabilem („schaue dies alles, diese Reize, ein Weib, das sich schämt und sich schämen muß, schon geboren zu haben") confirmet, Rothsteinio propter pluralis numeri formam *haec* repugnat. sed etiam aliter in Properti carminibus pluralis numerus ponitur, ubi aliquid certi quidem, quod antea commemoratum est, respicitur, sed in universum amplificatur. e. g. II 15, 47 s.

haec certe merito poterunt laudare minores:
laeserunt nullos pocula nostra deos.

haec „dergleichen Dinge". cf. infra p. 62 de Properti demonstrativo genere dicendi.

[4]) cf. Cat. 68, 37 *quod cum ita sit*, quod membrum sublimi poesi parum convenire B. Schmidt in editione Catulliana (p. LXXXVII) indicat.

28, 31 *nunc, utcumque potes, fato gere saucia morem.* — *morem gerere*, quantum video, Properti aetate nusquam legitur, nisi Cic. 5ies; Corn. Nep. Datam. 4, 3; Ov. am. II 2, 13. locutionem recte consuetudini populari adscribi ex eo apparet, quod sescenties in comoediis occurrit.

32, 19 *nil agis, insidias in me componis inanes.* — *nil agis* expresse eandem fere vim habet, quam adverbium *frustra* vel alia notio universa. quam locutionem in sermone cottidiano usitatam esse etiam ex eo apparet, quod illa compluries in dialogo Plautino occurrit: Merc. 459 et 728; Rud. 996; Trin. 917 et 976. praeterea notes velim Hor. serm. I 9, 15 *iamdudum video; sed nil agis; usque tenebo* (cf. thes. l. lat. I 1381, 42 ss.).[1])

III 9, 59 s. *a te est, quod ferar in partes ipse fuisse tuas.* primum illud *a. te est* satis infacete dicitur, deinde membrum *in partes fuisse tuas* confusionem quandam duarum cogitationum continet, qualis in vulgari sermone frequenter occurrit. Rothstein exempla profert ex Plauti comoediis, Varronis scriptis, Ciceronis epistulis.

25, 16 *et quae fecisti facta queraris anus.* figura quae vocatur etymologica, cum elegantissimis scriptoribus Graecis valde placeat, a cultis et oratoribus et poetis Romanis fere spernitur, in sermone cottidiano, quia simplici rationi loquendi indulget, usitata est. id ipsum ex locutionis *facta facere* usu apparet; nam praeter illum locum Propertianum eiusdem fere aetatis nullum exstat exemplum nisi Cic. de inv. II 113 *aut num eiusmodi sit factum, ut, nisi fecisset, supplicio dignus esset, non, quia fecerit, praemio* et ad Att. XI 6, 3 *quo magis factum nostrum Caesar probet quasi de suorum sententia factum* (thes. l. lat. VI 129, 2 ss.). sed hoc loco minus figuram etymologicam quam vocem iteratam stare, illo summam summarum ipso illo verbo faciendi contineri meminerimus, cum Prop. III 25, 16 *facta facere* arcta iunctura simplicissime legatur. id apud minus elegantes tantum scriptores vetustae et posterioris latinitatis reperimus: Enn. ann. 314, Plaut. Bacch. 379, mil. 734,[2]) saepius Paul. dig., Apul., Tertull., alii.

Saepe membrum quoddam condicionale a Propertio imperativis apponitur, id quod ex sermone cottidiano ducere licet; nam homines mandatis hortationibusque aliquid addere solent, quo imperativi quasi natura nudantur, eo consilio, ut

---

[1]) Aliter Ov. am. III 4, 1 s. *dure vir, imposito tenerae custode puellae nil agis.* nam *nil agis* non παρενθέτως ut supra stat.

[2]) Lucr. V 1340 s. qui locus in thesauro exempli causa affertur, huc non pertinet; nam illic aut versus spurios aut lacunam codices praebent (cf. editionem Hermanni Diels).

animo alterius persuadeant aut studium incitent. sed ea vocabula locutionesque, quae principaliter sincero sensu adduntur, ut mandata quodammodo mitigentur, paulatim contrita haud raro in usu aliquid habent inhumanitatis, ut nostrates aspere dicere solent „gefälligst".

Huc igitur ex Propertio pertinent:

I 9, 33 quare, si pudor est, quam primum errata fatere

II 12, 18 si pudor est, alio traice tela tua

Rothst.: eine in der Umgangssprache, wie es scheint, sehr gebräuchliche, aber nichts weniger als höfliche Wendung.

16, 7 quare, si sapis, oblatas ne desere messes

exempla locutionis *si sapis*, quae hic summo cum ludibrio stat, inveni Ps. Verg. Cop. 29; Ps. Tib. IV 2, 2; Ov. am. II 2, 9; III 4, 43; rem. am. 372. eodem sensu *si sapiet* Cat. 35, 7. Similiter stat Prop. II 15, 12 *si nescis, oculi sunt in amore duces.* Rothst.: Es ist eine der römischen Umgangssprache geläufige Wendung, die nicht immer, aber häufig eine unfreundliche Färbung hat.

III. De elocutione

Formis delectuque verborum perpensis reliquum est, ut de Properti elocutione, quae quidem familiarem dictionem attingat, disseratur. qua ex re quoniam quae ad syntaxin pertinent ab Uhlmanno iam tractata sunt, equidem id ago, ut colorem quendam communi sermoni Propertiano e vulgari consuetudine obductum esse demonstrem. atque materies haud scio an commode comprehendatur, si hanc partem disputationis ita instituimus, ut in elocutione Properti consideranda neglegentiam securitatemque atque alacritatem vehementiamque discernamus.

a) De neglegentia elocutionis

1) In usu verborum

Cum in antecedente parte, quae est de electu verborum, singula vocabula ad usum poeticum spectantia consideraverimus, hic communis ratio eloquendi Propertiana tractatur.

Ac primum quidem haud raro Propertius tenuis angustusque in dictione varianda apparet. vocabula enim quaedam satis superque arripit: *cogere* 26^{ies} (Tib. bis, Verg. 37^{ies}), *noscere* 28^{ies} (Tib. semel, Verg. 21^{ies}), *posse* 126^{ies} (Tib. 28^{ies}, Verg. ca. 150^{ies}), *totus* 51^{ies} (Tib. 7^{ies}, Verg. 130^{ies}), *vacare* 11^{ies} (Tib. nusquam, Verg. 5^{ies}), *vacuus* 16^{ies} (Tib. nusquam, Verg. 19^{ies}). qua in collatione rationem, quae est numero versuum inter Tibullum, Propertium, Vergilium, ne obliviscamur hoc modo indicari: 1 : 3,2 : 10,4. praeterea sane quidem omnes scriptores iique ornatissimi verba quaedam amplexantur, sed

omnia illa Propertiana prorsus trita esse notes velim praecipueque *posse* verbum, quod saepe in Properti carminibus ita occurrit, ut posse aliquid effici appareat non viribus quidem et subsidiis eius, qui agat, sed adiumento extrinsecus comparato vel impedimento aliquo sublato, ut interpretandum sit *licet, obtingit,* velut

I 12, 7 s. non illo tempore cuiquam
contigit, ut simili posset amare fide
15 felix, qui potuit praesenti flere puellae
21, 5 sic te servato, ut possint gaudere parentes
III 4, 22 me sat erit sacra plaudere posse via

et alia eiusdem generis. sic iam B. Kuttner, De Properti elocutione quaestiones (diss. Hall. 1878) p. 20. praeterea, ut hoc addam, illud verbum I 12, 8 et III 4, 22 secundum vulgarem rationem loquendi abundanter stat (cf. Loefstedt l. l. p. 207 ss.).

Tum adiectivum *totus* saepenumero a Propertio satis inaniter adhibetur:

I 13, 15 vidi ego te toto vinctum languescere collo
14, 21 et miserum toto iuvenem versare cubili
II 17, 8 difficile ut toto monte volutet onus
22, 12 frigida de tota fronte cadebat aqua
29, 37 aspice, ut in toto nullus mihi corpore surgat (spiritus).

id, si recte video, ex eodem sermone populi, ut qui soleat res in maius extollere, repetere licet.

Deinde idem vocabulum frequentius brevi intervallo a Propertio iteratur. quamquam proximis annis compluries viri docti (cf. Norden, Aen. VI p. 243) ei rei evitandae haud ita enixe a scriptoribus antiquis operam dari significaverunt, tamen tales repetitiones saepius exstantes neglegentiae exemplis tribuendas esse vix negari potest, ut id ipsum a Leone crimini datur auctori tragoediae illius quae Hercules Oetaeus inscribitur (Sen. trag. ed. Leo I p. 57). quocirca fortasse iure Propertius, si verba in eodem contextu iterata frequenter deprehendimus, neglegentiae arguatur. etiam Vahlen, qui a Propertio ipso profectus ubertim de ea re disputat Opusc. I p. 355 ss., si quidem contra multa temerariaque conamina vocabulum altero utro loco iteratum demendi, ut ait, tales repetitiones verborum concoqui et defendi posse multis exemplis demonstrat, maxime eum poetam sibi in hac causa a legentibus condonari velle iudicat.[1]) iam vero exempla a Vahleno enume-

---

[1]) Nihil huc pertinet, quod Propertius saepe in sententiis coordinatis alacritatis augendae causa voces quasdam duplicat. e. g. I 8, 5 s.
tune audire potes vesani murmura ponti
fortis et in dura nave iacere potes?
similiter aliis locis, ubi figura est. cf. Uhlmann p. 93.

rata augeri possunt. in summa, quantum video, haec inveniuntur: I 2, 9; 11 *formosa, formosius.* 4, 5; 7 *formam, formosi.* 7, 6; 8 *duram, dura.* II 13, 39; 40 *venies . . . memento, veni memores.* 22, 5; 8 *candida.* 22, 49; 50 *quaerendo, quaerere* (nisi versus 50 in codice Neapolitano omissus a Propertio abiudicatur). 25, 7; 8 *vacua, vacat.* 32, 44; 45 *facit, fecit.* III 1, 3; 6 *ingredior, ingressi.* 1, 22; 23 *post obitum* (hoc loco, ut videtur, expresse). 4, 16; 18 *capta, captos.* 5, 36; 37; 38 *coit, exeat, eat.* 7, 45 *viveret . . . . . conviva.* 8, 2; 4 *insanae, insana.* 8, 18; 19 *certo, certa* (cf. F. Jacoby, Rh. Mus. 96, 1914 p. 454 adnot. 1: Gleichgültigkeit des Dichters in dieser Beziehung, nicht beabsichtigte Leitworte in der Wiederholung). 9, 12; 16 *vindicat.* 10, 16; 18 *caput.* 11, 16; 17 *forma, formae.* 11, 19; 21 *statuisset, statuit.* 11, 59; 61 *monumenta.* 21, 26; 28 *docte.* IV 1, 33 *suburbanae, urbe.* 1, 100; 101 *facerent, facito.* 2, 28; 29 *imposito, imposta.* 4, 14; 15 *fonte, fontem.* 11, 87; 89 *laudate.*[1])

Ad aliam speciem inelegantis sermonis aggrediamur. latissimum enim campum Propertius concedit usui substantivorum, quae cum communibus verbis coniuncta pro propriis verbis stant. quo modo et procul dubio oratio pressa atque adstricta fit et sermo vulgaris exprimitur; nam talis dictio logica ratione neglecta sensibus subiecta est, si quidem pro notionibus infinitis, quae verbis insunt, aliquid certi, quod substantivo designatur, aut esse aut fieri aut haberi dicitur, velut profecto ut ineleganter ita expresse stat *amator est* pro *amat*, *moram facit* pro *moratur*, *metum habet* pro *metuit.*[2])

Propertius igitur secundum hunc modum dicendi passim substantiva cum verbo *esse* coniuncta certis verbis praefert, id quod in nostro quoque inferiore sermone cottidie sentimus. e. g.

I 2, 23 non illis studium (scil. erat) vulgo conquirere amantes
32 taedia dum miserae sint tibi luxuriae

---

[1]) Vahlen commemorat praeterea II 28, 25 ss.
quod si forte tibi properarint fata quietem,
illa sepulturae fata beata tuae,
narrabis Semelae . . . .
sed hic non neglegentia comparet, immo epanalepsis vere poetica invenitur. cf. p. 52 adnot. 1.

[2]) cf. W. Wundt, Völkerpsychologie II 2^2 p. 9: Ursprünglichkeit des Nomens . . . . Das nomen substantivum in der Sprache aller Völker der eigentliche Träger des Gedankens . . . . . . Der nominale Begriff ist der ursprüngliche, an den sich Formen, denen wir eine verbale Deutung geben können, erst als sekundäre Modifikationen des Ausdrucks angeschlossen haben. cf. apud Plautum usum frequentem substantivorum velut *accessio, interpellatio, tactio* aliaque. Brix ad Trin. 709: aus der schlichten und bequemen Ausdrucksweise des Volkes hervorgegangen.

II 3, 27 non non humani partus sunt talia dona
9, 22 forsitan et de me verba fuere mala
10, 5 s. quod si deficiant vires, audacia certe laus erit

cf. Ov. Pont. III 4, 79 ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.

haec sententia Ovidiana simpliciter quidem, sed cum Propertio comparata, cuius illo loco duritia quaedam non dubia est, elegantissime dicitur.

24, 32 discidium vobis proximus annus erit
28, 5 sed non tam ardoris culpa est neque crimina caeli
33, 18 sed tibi, crede mihi, cornua rursus erunt
III 5, 46 et timor haud ultra quam rogus esse potest
9, 36 tota sub exiguo flumine nostra mora est
IV 1, 58 ei mihi, quod nostro est parvus in ore sonus
4, 13 murus erat montes
7, 1 sunt aliquid Manes.

Huc pertinet, quod hic poeta satis crebro substantiva in *-or* cadentia propter verbum *esse* usurpat:

II 3, 16 non sum de nihilo blandus amator ego
13, 9 non ego sum formae tantum mirator honestae
19, 3 nullus erit castis iuvenis corruptor in agris
III 16, 13 quisquis amator erit, Scythicis licet ambulet oris
cf. Tib. I 2, 27 quisquis amore tenetur, eat tutusque sacerque (qualibet).

Deinde Propertius frequentissime simplicia et trita verba *faciendi* atque *habendi* cum variis substantivis conexa ponit ratione eloquendi haud dubie cottidianae consuetudini apta; nam in omnibus linguis rudes homines illis verbis per se inanibus eoque ipso ad diversissimas compositiones idoneis multifarias iuncturas efficiunt. exemplum ut afferam, Marouzeau, Revue de Phil. XLV (1921) p. 157 locutionem *convicium facere* in illa narratione, qua auctor qui vocatur ad Herennium aridum et exsangue genus orationis illustrat (IV 16), ad vulgarem dictionem aspirare monet. cum eandem iuncturam (I 6, 15) tum multas alias eiusdem generis Propertius ponit easque omnes fere, id quod neglegendum non est, adiectivo nudas, ita ut facile simplicibus verbis reddantur, sicut illud *convicium facere* verbo *conviciandi* aut *obiurgandi:* I 12, 2; IV 1, 100; 10, 36 *moram facere.* I 17, 14; II 33, 22; III 16, 26; IV 2, 7 *iter facere.* I 20, 48 *sonitum facere.* II 8, 11 et 34, 79 *carmina facere.* III 17, 4 *curarum fit medicina.* IV 1, 101 *votum facere.* 6, 1 et 9, 43 *sacra facere.* 7, 77 *versus facere.* 8, 50 *levia murmura facta* (scil. *sunt*). 9, 47 *servilia officia facere.*

Tum poeta saepe secundum morem vulgarem (cf. praeter

alios Lindenbauer l. l. p. 136) verbum *faciendi* cum adiectivo vel participio instar praedicati posito per phrasin dicit:

I 9, 7 me dolor et lacrimae merito fecere peritum
II 5, 6 quae fieri nostro carmine nota velit
16, 22 atque una fieret cana puella domo
18, 6 et faceret scissas languida ruga genas
30, 18 turpia cum faceret Palladis ora tumor
III 8, 8 fac mea rescisso pectora nuda sinu
IV 7, 20 fecerunt tepidas pallia nostra vias.

quin etiam abundanter fere participium *factus* stat:

II 6, 6 Phryne tam multis facta beata viris
9, 8 illum exspectando facta remansit anus
15, 2 lectule deliciis facte beate meis
22, 39 aut si forte irata meo sit facta ministro
33, 14 idcirco facta superba dea es
III 24, 2 olim oculis nimium facta superba meis
IV 8, 82 riserat imperio facta superba dato.

Huc accedit, quod interdum illud verbum per neglegentiam quandam ita adhibetur, ut quasi pro *praebere* vel *dare* positum esse videatur:

II 1, 4 ingenium nobis ipsa puella facit
IV 4, 43 quantum ego sum Ausoniis crimen factura puellis
5, 29 et simulare virum pretium facit.

his locis verbum *faciendi* sublimi poesi parum convenire videtur, at tam significanter expresseque positum haud dubie vulgaris sermonis vigori respondet.

Denique hi versus pedestrem dictionem resonare videntur:

IV 5, 49 nec tibi displiceat miles non factus amori
11, 66 consule quo facto tempore rapta soror.

hunc ablativum absolutum languere iam Hertzberg in commentario iudicat.

Quodsi comparationis causa Tibullianum usum verbi *faciendi* inspicimus, in primo alteroque libris illud 16^{ies} occurrit idque 13^{ies} sollemni vi scilicet *agendi* (absolute) aut *fabricandi* (transitive de externis rebus) aut *efficiendi* (saepe membro finali sequente). restant hi loci:

I 9, 14 et ventis horrida facta coma
II 5, 102 (maledicta) postmodo quae votis irrita facta velit
4, 31 haec fecere malas (scil. puellas).

hoc loco Tibullus similiter Propertio crassam quandam dictionem praebet, quae indignatione, qua verba fiunt, quodammodo excusatur.

Contra in ceteris corporis Tibulliani carminibus inveniuntur:

Lygd. 1, 12 indicet ut nomen littera facta meum
6, 13 ille facit dites animos deus
Ps. Tib. IV 4, 12 votaque pro domina vix numeranda facit
14, 3 crimina non haec sunt nostro sine facta dolore.

Idem, quod in verbi *faciendi* usu Propertiano observatur, de verbo *habendi* valet. exempla iam a Kuttnero collecta (l. l. p. 12 ss.) sunt haec: I 4, 8 et III 16, 30 *nomen habere* pro *nobilitari.*[1]) II 15, 30 et III 19, 4 *modum habere.* II 24, 42 et III 6, 6 *fidem habere.* II 25, 22; III 7, 44; IV 7, 88 *pondus habere* pro *verum et constantem esse.* II 25, 34 *invidiam habere* (ut frequenter, passivo sensu). 32, 2 *crimen habere.*[2]) III 11, 6 *metum habere,* cf. nostrum „Furcht haben" vulgariter pro „sich fürchten". 13, 19 *certamen habere,* cf. „Streit haben" trita locutione pro „sich streiten". 15, 19 *mala habere.* 15, 40 *mortem habere,* mira eademque simplicissima dictio pro *mori.* IV 7, 14 *vires habere.* ex quibus exemplis quamquam aliud apud alium poetam reperiri planum est, tamen ex frequentia illorum ratio quaedam loquendi in Properti carminibus elucet.

2) In compositione verborum[3])

Propertius persaepe ad universam relationem indicandam praepositionem *in* cum ablativo coniunctam ponit i. q. „was das anbetrifft, daß" velut passim occurrit iunctura *in amore* „in Sachen der Liebe". e. g.

I 9, 5 s. non me Chaoniae vincant in amore columbae
dicere, quos iuvenes quaeque puella domet

in amore dicere inter se cohaerent.

34 dicere, quo pereas, saepe in amore levat

in amore communiter „wenn man verliebt ist".
alia exempla ut afferantur, commemoro:

II 7, 5 sed magnus Caesar in armis
10, 6 in magnis et voluisse sat est

---

1) Praeterea II 26, 7 et IV 2, 50 *nomen habere* proprio sensu.

2) Omnes boni codices: *facti crimina lumen habet* (Rothst.), deteriores: *facti lumina crimen habent* (Hosius). nullo modo intellegi potest poetam sine ulla necessitate ineptas formas singularis numeri *lumen* et pluralis *crimina* posuisse. Cat. 64, 86 atque Ov. her. 15, 37, quae exempla Rothstein lectionis *lumen* affirmandae causa citat, *lumine* legimus, quia *luminibus* in hexametro nullum habet locum.

3) In hac parte nonnulla Properti praecipue propria per saturam collata sunt. multa, quae ad syntaxin Propertianam pertinentia fortasse hoc loco commemorari possunt, iam Uhlmann in sua commentatione diligenter ordinem artis grammaticae secutus notavit, equidem hoc loco omitto, quippe quae non ita a ceteris poetis vitentur, ut sermoni vulgari reservanda sint.

21 s. ut caput in magnis ubi non est tangere signis,
ponitur hic imos ante corona pedes

in magnis signis „wenn es sich um große Bildsäulen handelt". ea dictio hoc loco eo neglegentior videtur, quod illud membrum propter verbum *ponendi* collocatum est, quocum eodem modo definitio loci coniungi solet.[1])

III 9, 11 in Veneris tabula summam sibi poscit Apelles

hoc loco simul praepositione *in* causa indicatur, cuius usus alia exempla Propertiana Rothstein ad I 3, 44 affert. haud dubie haec distincte concisa brevitas ad sermonem familiarem pertinet, cui Ciceronem maxime in epistulis indulgere monet Kurfess, Berl. philolog. Wochenschr. 1919 col. 767 et Herm. 57 (1922) p. 624.

Iam vero hic usus persaepe in homines cadit:

I 1, 17 in me tardus Amor non ullas cogitat artes
in me „in meinem Falle".

II 12, 13 in me tela manent
„bei mir haben die Geschosse ihre Geltung".

18, 2 frangitur in tacito femina saepe viro

etiam hic eadem iunctura causam notat: „wenn es sich um einen schweigenden Mann handelt" et „durch einen schweigenden Mann".

20, 11 in te ego et aeratas rumpam, mea vita, catenas
in te „wenn es sich um dich handelt".

21, 18 experta in primo, stulta, cavere potes

24, 29 quos utinam in nobis, vita, experiare labores

III 8, 33 s. aut tecum aut pro te mihi cum rivalibus arma
semper erunt: in te pax mihi nulla placet

contraria quae sunt *tecum* et *pro te* tertio membro universe addito *in te* comprehenduntur, qua ex re generalis vis praepositionis bene intellegitur.

19, 28 victor erat quamvis, aequus in hoste fuit

hoc adiectivum sescenties cum dativo personae coniunctum apparet. praeter Properti locum praepositio *in* iuxta illud nusquam occurrit nisi Plaut. Poen. 359 *non aequos in me es* — sed hic forma *me* mea quidem sententia rectius pro accusativo intellegitur — atque Plin. hist. nat. V 477 *non aequus in artis nimirum rebus suasor metus* (thes. l. lat. I 1034, 41 ss.).

22, 35 cornua nec valuit curvare in paelice Iuno

IV 3, 49 omnis amor magnus, sed aperto in coniuge maior

11, 56 in me mutatum quid nisi fata velis?

haec sunt exempla eius usus, qui in ornata oratione rarissime

---

[1]) Non minus neglegenter nostrates in cottidiano sermone praepositionem „bei" usurpant: „bei großen Bildsäulen (d. h. wenn es sich um große Bildsäulen handelt) legt man den Kranz unten nieder".

invenitur, cottidiani sermonis haud dubie proprius est propter concisam brevitatem ac vividam facilitatem, qua pro eo, quod ad aliquem hominem pertinet, is ipse ponitur: *in me* „in meiner Sache, in allem, was mich betrifft".

Similiter Propertius more pedestri *de* c. abl. absolute initio enuntiati ponit:

II 32, 21 sed de me minus est[1]) „was mich anbelangt, so hat es nicht viel auf sich" (Rothst.)

18, 29 de me mi certe poteris formosa videri

sermo abruptus et a sono vere poetico alienus comparet; nam haud dubie et aures legentium tribus monosyllabis et animi forma *me* iuxta *mi* dativum durissime posita offenduntur. sed in tanta inelegantia sermonis caveamus, ne cum Phillimore Anglico editore secundum Neapolitanum codicem legamus *deme, mihi* . . . . ; nam quamquam in antecedentibus eius carminis versibus Cynthia puella tam pulchra inutiliter fucum adhibere dicitur, tamen illam falsum mundum deponere a poeta iuberi ex imperativo absoluto *deme* intellegi nequit. re vera autem codicis Neapolitani testis illius egregii discrepantia non exstat, nisi forte scripturam continuam solventes a traditis litteris recedere existimamur; nam *mi* et *mihi* confusae formae e. g. etiam Prop. II 5, 3 in codicibus deprehenduntur. ergo illo loco II 18, 29 Propertio usus praepositionis *de* condonari debet, quae sic generalis indicii causa initio sententiarum frequentissime in comoediis Ciceronisque epistulis invenitur.

Deinde ad neglegentiam sermonis pertinet, quod Propertius saepius binas notiones praepositione aliqua conserit reiecta constructione participiali, ita ut substantivum cum praepositione coniunctum attributi loco stet, velut III 2, 24 *ingenio stat sine morte decus,* de quo usu quoniam agunt Uhlmann (l. l. p. 19) ac Bausch (l. l. p. 32) non iam disserere opus est.

Neque minus contra elegantiam sermonis mea quidem sententia poeta crebro genetivum alterum genetivo subiungit, quam compositionem boni poetae, si recte video, fere devitant: II 3, 35 s. *tanti ad Pergama belli Europae atque Asiae causa;* 24, 11 *pavonis caudae flabella superbae;* 27, 6 *et maris et terrae caeca pericla viae;* III 9, 54 *Parthorum astutae tela remissa fugae;* 10, 3 *natalis nostrae signum . . . puellae;* 11, 70 *tantum operis belli;* 18, 2 *fumida Baiarum stagna tepentis aquae*; IV 1, 103

---

[1]) Hoc loco ipsum illud *minus est* vulgaris linguae indicium exhibet. Loefstedt, Ἀντίδωρον, Festschrift zu Wackernagels 70. Geburtstag (Göttingen 1923) p. 333 ss. demonstrat *minus esse* in posteriore latinitate vim plane negativam habere. quod certe initium cepit ex familiari sermone, cuius exemplum hic locus Propertianus praebet. nam in eo saepius directae negationes quasi εὐφημίας causa vitantur (cf. supra p. 46).

arenosum Libyae Iovis . . . . antrum; 5, 23 *Eurypyli . . . . Coae textura Minervae.* at I 13, 9 s.

haec erit illarum contempti poena doloris,
multarum miseras exiget una vices

haud scio an *illarum* instar genetivi qui vocatur subiectivi, *contempti doloris* pro obiectivo posita sint; nam primum v. 10 haec una multarum vices exigere dicitur, deinde eadem structura verborum occurrit III 7, 22 *qua notat Argynni poena minantis aquae*, quae verba optimo codice Neapolitano tradita iniuria cum ab aliis temptata tum ab Hosio in editione improbata sunt.

Tum pauca verba de ablativo modali gerundii facienda sunt. quem sermonis cottidiani proprium esse, quippe qui a subiecto, quod sensu spectat, absolutus aliquid habeat commoditatis ac vulgo pro participio usurpari soleat, praeter alios Ziemer, Wochenschr. f. klass. Philolog. 17 (1900) p. 409 et Wackernagel l. l. I pp. 281 et 290 exponunt. quamquam totam materiam, quae a scriptoribus florentis aetatis praebetur, perlustrare non potui,[1]) tamen id animadvertisse mihi videor, ex omnibus, qui sunt usque ad Livium scriptorem cum posterioribus illius usus amantissimum, Catullum, Vergilium in eclogis sermoni cottidiano aliquantulum accommodatis, Propertium maxime ablativo modali gerundii indulgere. de quo usu cf. etiam E. Bickel, Diatribe in Sen. frg. I (1915) p. 314. exempla Propertiana affero:

I 1, 9 s. Milanion nullos fugiendo, Tulle, labores
saevitiam durae contudit Iasidos —

4, 1 s. quid mihi tam multas laudando, Basse, puellas
mutatum domina cogis abire mea?

eodem modo I 13, 12; II 9, 8; 10, 19 s.; 22, 49; 24, 31.

Denique ellipsin verborum ex neglegentia sermonis repetere licet; nam verba quae vocantur finita, si facile subaudiuntur, frequentissime omittunt poetae comici, Cicero in epistulis, multo rarius in orationibus ceterisque scriptis, Horatius in sermonibus, minime in carminibus, ne de posteriorum auctorum velut Persi atque Iuvenalis amplissimo ac paene obscuro usu verba faciamus. etiam Propertius ellipsi verborum latissimum campum concedit; exempla collegit Uhlmann p. 9 ss.

Quodsi ad structuras membrorum considerandas aggredimur, primum Propertius contra elegantem dictionem amplissime sententiarum structuras variat, velut eidem verbo et nomen pro obiecto et infinitivum vel acc. c. inf. addit aut

---

[1]) De Cicerone et Caesare cf. O. Weise, Charakteristik der lateinischen Sprache[4] p. 154: Den modalen Gebrauch des Ablativus gerundii, der seit Livius immer häufiger wird, so daß er sogar in die romanischen Sprachen übergeht, kennen beide so gut wie gar nicht.

membra relativa et condicionalia coniungit aut verborum tempora in singulis sententiis large mutat. deinde artas copulationes fere spernit, si quidem verba sentiendi dicendique quasi παρενθέτως ponit et sententias interrogativas, condicionales, concessivas, consecutivas per parataxin sententiis principalibus adiungit. quas proprietates, ut thesis huic parti disputationis inscripta scilicet neglegentia quaedam sermonis in Properti carminibus conspicua affirmetur, breviter commemorare satis est, quoniam Uhlmann singula exempla in syntaxis tractatione accurate collegit et in ordinem adduxit (pp. 66 ss.; 73 s.; 91 s.). deinde poeta in sententiis subordinatis, cum rationes temporales in eleganti latinitate diligenter definiri soleant, interdum simpliciore forma anteposita futurum tempus neglegit. e. g. legimus:

II 22, 37 s. altera me cupidis teneat foveatque lacertis,
altera si quando non sinit esse locum
IV 1, 139 s. nam tibi victrices, quascumque labore parasti,
eludet palmas una puella tuas
2, 29 s. at cum est inposta corona,
clamabis capiti vina subisse meo.

qua in re illud schema Plautinum recognoscimus, quod a viris doctis ex sermone vulgari repetitur; cf. Marx, Auct. ad Her. p. 177: „observandum est, quod saepenumero scriptor illud adhibuit schema, quod expressit Rud. 647 *si das operam, eloquar*“.

b) De alacritate elocutionis

Inter omnes constat propriam artem Properti vehementia sensuum motuumque animi contineri. quae res, quod videam, bifariam orationis conformationem attingit; primum enim inde audacia illa oritur, qua poeta saepe tamquam novator sermonis orationem figurat, sicut cum aliis schematis tum metaphoris amplissime spatium dat ac magnam sensuum copiam brevibus gravibusque membris comprehendere solet, deinde eodem illo vigore fit, ut haud raro poeta in cottidianum sermonem delabatur, utpote quo praestanti ac singulari perspicuitate res illustrari soleat. hanc partem elocutionis Propertianae explanare placet, non quo in sequenti disputatione Propertio attribuantur, quae ab aliis poetis plane aliena sint, sed quae pro frequentia proprietatem quandam illius indicent.

1) De demonstrativo genere dicendi

Secundum sermonem vulgarem, qui imprimis particulis monstrativis abundat, quandoquidem simplices homines sententias gravibus verbis pronuntiant, Propertius talia vocabula copiosissime adhibet. quorum usum considerans quamquam

vereor, ne inanibus numeris ludere videar, tamen nonnulla mea quidem sententia memoratu digna sunt.

iste praebent Prop. 39ies, Tib. I et II quater, *tantus* Prop. 43ies, Tib. ter, *talis* Prop. 22ies, Tib. bis, *tam* Prop. 46ies, Tib. bis (praeterea I 6, 7 corrupte), *sic* Prop. 61ies, Tib. 14ies, *totiens* Prop. 15ies, Tib. semel. hanc rationem, quamvis illic 4010, hic 1240 versus exstare reputemus, tamen quasi pro exemplo contrarii generis dicendi esse nemo non intelleget. huc accedit, quod pronomen *iste* sermone tritissimum (cf. Norden, Aen. VI p. 120) apud Vergilium, cuius opera plus triplo maiora sunt (12900 fere versus), ne totiens quidem (scilicet 30ies) invenitur, quotiens in Properti carminibus (39ies). idem valet de particula *tam* (Prop. 46ies, Verg. 40ies fere) et adverbio *totiens* (Prop. 15ies, Verg. 8ies, si duos illos versus interpolatos Aen. II 582 et X 483 excipimus). sed ne extrariis rebus adhaereamus, quae magis minusve casu effici possunt, usum Propertianum diligentius considerare opus est.

Ac primum quidem, id quod iam Uhlmann in subiecto apud Propertium examinando (p. 14 ss.) breviter commemorat, equidem, ut omnia ad hanc dictionem pertinentia amplectar, iterare commodum esse puto, Propertius frequentissime nominativos pronominum personalium velut *ego, tu, nos, vos* per abundantiam sine ulla vi augendi ponit atque subiectum vel obiectum demonstrativis in sequentibus membris repetit. quod Plautum, Ciceronem in epistulis, Apuleium, Vitruvium frequentare artes grammaticae docent. ex Propertio affero e. g.

I 9, 23 s. nullus Amor cuiquam faciles ita praebuit alas,
ut non alterna presserit ille manu.

exempla passim in carminibus occurrunt.

Deinde poeta saepissime pronomina *tantus, tam, tot, totiens* ita ponit, ut is qui legit non habeat, quo illa spectent, nisi sua cogitatione in poetae sensus se insinuans relationem reperire studet. cf. Rothst. ad II 7, 17, qui multa exempla profert.

Similiter pronomen *hic* sic stare solet, ut nullo certo indicio praecedente subito aliquid significet, quod poeta animo videt, is, qui attente legit, ex verbis antecedentibus intellegit. plerumque illud *hic* ei, qui versus oculis percurrit neque vigorem vocis sentit, vicem simplicis possessivi obtinere videtur. ex creberrimis exemplis affero haec: I 6, 26 *hanc animam*; II 1, 6 *hoc volumen* („das Buch, das der Dichter dem Leser vorlegt" Rothst.); 1, 65 *hoc vitium* („die Krankheit, an der der Dichter leidet" Rothst.); 12, 22 *haec mea Musa* („mit Bezug auf das vorliegende Gedicht" Rothst.); 16, 32 *dolor hic*

(cf. v. 13 *nostro dolori*); 34, 81 *haec* (scilicet *mea carmina* post Vergili poesin laudatam); IV 4, 52 *haec lingua*;[1]) 9, 68 *ara per has maxima facta manus* (Hercules de ara a se exstructa).

Quin etiam saepe demonstrativa forma omnino nihil certi designat, sed per emphasin ponitur ad universam copiam sententiarum colligendam, quae antecedentibus versibus insunt. e. g. II 7, 17 hinc etenim tantum meruit mea gloria nomen. Rothst.: *hinc* geht nicht auf ein einzelnes Wort, sondern auf den ganzen Vorstellungskreis, den *mea puella* (v. 15) angeregt hat. cf. etiam Rothst. ad II 34, 51 *harum* et 72 *huic*.

Tum Propertius haud dubie communi consuetudini indulgens initio apodosis praecedentem sententiam vocabulo demonstrativo exprimere atque complecti solet, id quod et in latino sermone inculto usitatum est (cf. O. Altenburg, De sermone pedestri Italorum vetustissimo. Fleckeis. Jahrb. suppl. XXIV 1898 p. 493) et in nostrati lingua vulgari observatur:

I 6, 31 ss. at tu seu . . . . seu . . . . seu . . . . seu . . . .
ibis et accepti pars eris imperii,
tum tibi si qua mei veniet non immemor hora,
vivere me duro sidere certus eris.

item I 14, 9 ss.; II 1, 13 s.; 13, 15 s.

II 30, 37 ss. hic ubi me prima statuent in parte choreae
et medius docta cuspide Bacchus erit,
tum capiti sacros patiar pendere corymbos.

item III 5, 23 ss. et IV 1, 131 ss. similiter II 17, 1 s.
mentiri noctem, promissis ducere amantem,
hoc erit infectas sanguine habere manus.

ut saepe, in eo quoque usu Catullum a Propertio stantem videmus: *tum* initio apodosis 15, 14 ss. et 64, 228 ss., *ibi* eodem sensu de tempore 63, 39 ss. et 74 ss.

Iam vero satis saepe iuxta propriam definitionem vocabulum demonstrativum redundanter legitur:

II 8, 29 s. ille etiam abrepta desertus coniuge Achilles
cessare in tectis pertulit arma sua.

consuetudine sermonis cottidiani ad pronomen raptim proiectum finitio additur, cum id, nisi certum nomen accedat, intellegi non posse is qui dicit reminiscatur. hac ratione,

---

[1]) Tarpeia Tatio vehementer timens haec verba facit IV 4, 51 s.
o utinam magicae nossem cantamina musae.
haec quoque formoso lingua tulisset opem.

Rothst.: *quoque* gehört zu *lingua*. In diesen Worten wird man einen Hinweis auf Medea sehen dürfen. quod ipsum mea quidem sententia apte indicatur iunctura *haec quoque lingua* „auch meine Zunge wie die Medeas und anderer, die cantamina kannten". ergo *quoque* ad *haec* pertinet. hoc solo modo pronomen eam habet vim, de qua agimus.

ut ita dicam, psychologica Rothstein (ad II 8, 29) illum usum bene explanat. ex locis eiusmodi satis multis affero e. g.

II 19, 23 s. haec igitur mihi sit lepores audacia molles
excipere et stricto figere avem calamo
III 6, 9 sicine eam incomptis vidisti flere capillis?
IV 9, 74 sic Sanctum Tatiae composuere Cures.[1])

praecipue in locis indicandis hic pleonasmus invenitur:

I 19, 7 s. illic Phylacides iucundae coniugis heros
non potuit caecis immemor esse locis
20, 33 s. hic erat Arganthi Pegae sub vertice montis
grata domus nymphis humida Thyniasin
II 10, 22 ponitur hic imos ante corona pedes
IV 7, 85 hic Tiburtina iacet aurea Cynthia terra.

cf. Brix ad Plaut. Capt. 330: Die Verbindung einer allgemeinen Ortsbestimmung mit einer oder mehreren näheren ist in der Umgangssprache äußerst häufig. eodem modo secundum sermonis familiaris usum Propertius ante infinitivum vocabula ponit, quibus sequentia commonstrentur ut *hoc* vel *haec*. cf. Uhlmann p. 51, qui provocat ad Stinner (De eo quo Cicero in epistulis usus est sermone III p. 11) multos locos e Ciceronis epistulis proferentem. idem nominat exempla Propertiana.

Quin etiam audacissime IV 2, 37 *suppetat hoc, pisces calamo praedabor* demonstrativum ita positum est, ut significatio eius omnino non exhibeatur ac sequenti demum membro intellegi possit.[2]) Vertumnus deus de facultatibus suis disserens illa quae supra exscripsi verba facit. Rothstein ex coniectura Heinsii praebet adverbium *hic*. sed meo iudicio forma neutri generis δεικτικῶς praemissa optime naturali dictioni respondet.

Denique in hac parte pauca de dativo qui vocatur ethico disserere placet. qui usus in carminibus Propertianis satis saepe comparet, haud dubie ad alacritatem orationis demon-

---

[1]) IV 9, 71 ss. Sancte pater, salve, cui iam favet aspera Iuno:
Sancte, velis libro dexter inesse meo.
hunc, quoniam manibus purgatum sanxerat orbem,
sic Sanctum Tatiae composuere Cures.

hic ordo versuum in codicibus exstat. quo probato illud *sic*, quoniam nomen Sancti iam bis antea commemoratum est, habet quidem, quo referatur, sed ibi nihil de propria appellatione dicitur ideoque *sic* sequenti nomine scilicet *Sanctum* illustratur idque, si recte video, satis sicce. transpositio versuum (73, 74, 71, 72) a Schneidewin proposita, quam Hosius editor in textum recepit, mihi quidem displicet; nam τὸ αἴτιον ipsum v. 73 s. post uberiorem narrationem breviter relatum apto loco quasi pro adnotatione in fine carminis stare videtur.

[2]) II 29, 23 s. minus audacter pronomen *illa* sequenti nomine explanatur, quoniam in poesi amatoria persaepe *illa* de amata et *ille* de rivali sine certa definitione adhibetur (Rothst. ad I 12, 3).

strativa relatione augendam valde idoneus et in sermone populari creberrimus.[1]) e. g.

I 4, 1 s. quid mihi tam multas laudando, Basse, puellas
mutatum domina cogis abire mea?

non minus recte poeta scribere potuit *quid me . . cogis . . ?* sed illo modo orationem plus habere vigoris nemo non videt.

6, 7 illa mihi totis argutat noctibus ignes
„sie redet mir die ganze Nacht feurige Liebesworte".

argutare cum dativo coniunctum hoc uno loco Propertiano comparet (thes. l. lat. II 556, 36 ss.).
singula exempla ex eo poeta afferre supervacuum est, quoniam elegantissimus quisque auctor tales dativos praebet. sed praeter frequentem Properti usum dativus ethicus ab hoc etiam iis verbis additur, quae dativum pro obiecto secum habere solent. inde, si recte video, ambiguitas sermonis ac neglegentia quaedam apparet; nam vix apud cultos auctores dativum ethicum sic usurpatum invenias. talismodi duo exempla Propertiana deprehendi:

I 5, 8 molliter irasci non solet illa tibi
Rothst.: „die kann dir nicht schlecht wütend sein".[2])

8, 13 s. atque ego non videam tales subsidere ventos,
cum tibi provectas auferet unda rates
„indem dir die Woge das fahrende Schiff (auf dem du dich befindest) entführt".

duobus locis ipso illo dativo propterea enuntiatio aliquid habet familiare, quod personam quandam, quamquam eius mentionem fieri in sententia opus non est, poeta alloquitur.

2) De specie quadam translationum

Unaquaeque lingua immensam habet multitudinem vocum, quae proprie aliquam rem finitam significantes ab hominibus insciis translative usurpantur. nullo omnino modo nisi metaphorica dictione ea, quae cogitamus, cum aliis communicare possumus. nuperrime de hoc communi usu subtiliter disseruit Dornseiff, Zwei Arten der Ausdrucksverstärkung. Festschr. f. Wackernagel (cf. supra p. 58 adnot. 1) p. 103 ss.

Latius patet ea consuetudo μεταφορικῶς dicendi et in oratione artificiosa atque poetica et in sermone vulgari idque diverso modo. illic enim verba translata parce et vere-

---

[1]) Schmalz, Lat. Gramm.[4] p. 374: Der dativus ethicus wurzelt in der Volkssprache . . . . Selten ist er bei den Dichtern der augusteischen Zeit.

[2]) Iniuria Birt, Berl. philolog. Wochenschr. 1898 col. 1258 hanc audaciam dictionis a Propertio abiudicans proponit *mihi*.

cunde posita orationem tamquam stellis quibusdam notant et illuminant (Cic. de or. III 170), hic libere et audacter perspicuitatis causa passim adhibentur. atque sunt in hac specie singularia quaedam, quae in illam minime conveniant. e. g. frequentissime verbis translatis, quae consuetudinis vulgaris propria sunt, veritatis superlatio atque traiectio inest (cf. J. Egli, Die Hyperbel in den Komödien des Plautus und in Ciceros Briefen an Atticus. Gymnasialprogr. v. Zug 1891—93) aut res humiles, quae ad vitam cottidianam pertinent, in comparationem vocantur, velut nostrates dicunt *eine Hoffnung zu Grabe tragen, mit etwas Schiffbruch erleiden, sich aus dem Staube machen.*[1]) Cic. ad Att. I 12, 4; VII 10; XIV 7, 2 *quod in buccam venerit,* sed in orationibus et ceteris scriptis semper *in mentem venire* usurpat. deinde huc pertinet, quod in sermone vulgari pro eo, quod ad aliquem refertur, persona ipsa poni solet sicut *in me* „in allem, was mich betrifft", id quod supra consideravimus. praecipue ea, quae facete aut contumeliose pronuntiantur, aspera quadam translatione tractari solent, ut affectant simplices homines id, quo animi moventur, quam fortissime significare. his fere indiciis haud scio an popularis consuetudo translate loquendi designari possit. scriptores autem luxuriem eius plerumque stilo astringunt.

His verbis praemissis ad Propertium reversus fieri posse puto, ut voces locutionesque sub illam speciem dictionis cadentes ei assignentur.

Ac primum quidem singulas voces eiusmodi commemoro:

II 23, 17 s. nec poscet garrula, quod te
astrictus ploret saepe dedisse pater

hoc loco Propertius, quantum litteris exstet, primus parcum hominem vocat *astrictum* („zugeknöpft"), post eum Sen. dialog. X 3, 1 et ep. 123, 13 posterioresque (thes. l. lat. II 964, 74 ss.). Antonium Propertius, si recte video, trita asperitate usus his verbis designat III 11, 56 *assiduo lingua sepulta mero.*

IV 8, 38 et Methymnaei Graeca saliva meri

vox *salivae* per se sordida atque a Caesare et Cicerone utique aliena est.[2]) vis illius, quam hoc loco Propertiano observamus, scilicet *Geschmack, feine Marke* nusquam reperitur nisi Plin.

---

[1]) In exemplis ex nostrati lingua allatis iterum ac saepius hoc reputandum est, fines, qui sunt in nostra consuetudine inter eam quae vocatur „Schriftdeutsch" rationem dicendi atque sermonem popularem, multo fluxiores esse quam illa aetate florentis latinitatis. quo fit, ut latina talis dictionis exempla semper fere aliqua explanatione digna sint, sive ea ex neglegentia scriptoris repetimus sive iis inertiam quandam illius indicari iudicamus sive illum usitatam consuetudinem loquendi imitando exprimere censemus.

[2]) Propertius praeter hunc locum exhibet vocem *salivae* IV 7, 37.

hist. nat. XXIII 40 *sua cuique vino saliva innocentissima est* et Pers. 6, 24 *nec tenuis sollers turdarum nosse salivas.* his exemplis a Rothsteinio laudatis accedit Plin. hist. nat. XIV 61 *divus Augustus Setinum praetulit cunctis et fere secuti principes, confessa propter experimenta, non temere cruditatibus noxiis ab ea saliva.* ceterum quod Propertius hoc uno loco *Graecus* adiectivum praebet (at 7ies *Graius*),[1]) eo evidentius apparet illud *saliva* tritum vocabulum esse, cui sublime adiectivum *Graius* repugnat. falso igitur et inepte Palmer proponit *Graia saliva*, ut usus Propertianus exaequetur.[2])

Saepe Umber poeta ad res amatorias describendas translationes ex usu cottidiano mutuari videtur. simplicia verba, quae vim habent *eundi*, de foedere amoris aut solvendo aut restituendo usurpat.

I 4, 2 (quid) . . . . . domina cogis abire mea?

abire de matrimonio vel amore: Plaut. mil. 970, Men. 5ies, Ter. Eun. 723 (thes. l. lat. I 68, 14 ss.).

II 5, 9 nunc est ira recens, nunc est discedere tempus

III 25, 7 flebo ego discedens

hoc verbum etiam apud Ovidium sic occurrit. vulgaris usus testimonium est Caelius ap. Cic. ep. VIII 6, 2 *uxor a Dolabella discessit.*

I 12, 19 mi neque amare aliam neque ab hac desistere fas est

praeter hunc locum verbum *desistendi* simili significatione semel tantum exstat Paul. dig. 4, 5, 5, 1 *deficere autem dicuntur, qui ab his, quorum sub imperio sunt, desistunt et in hostium numerum se conferunt* (thes. l. lat. V 732, 75 ss.), ubi verbum *desistendi* sermone tritum esse ex eo apparet, quod hoc ut simplicius ad aliud definiendum adhibetur.

18, 11 sic mihi te referas

verbum *referendi*, quod pronomine reflexivo addito expresse pro verbo *redeundi* stat, propter hanc ipsam vim figurae dictionem popularem redolet (cf. *se agere* „κωμικὴ λέξις, ein der Umgangssprache angehöriger Ausdruck“ Norden, Aen. VI p. 231). ea autem significatione, quam Propertius hoc loco praebet, scilicet de amore restituendo verbum tritum videtur esse; neque enim casu neque imitatione fieri probabile est, ut Propertius idem exhibeat, quod in Catulli poematio simplicissimo reperimus: 107, 5 *ipsa refers te nobis.*

---

1) III 8, 29 *grata* codd., *Graia* recte Beroaldus.

2) Ad has singulas voces in sermone cottidiano translative dictas pertinent familiarissimi illi vocativi *mea lux* (II 14, 29; 28, 59; 29, 1) et *(mea) vita* (passim). sed quoniam eos etiam alii poetae frequentant, Properti quidem proprietatibus minus tribui possunt. neque tamen neglegendum videtur Tibullum ab iis ut vulgatis abstinere. quod Ps. Tib. IV 3, 15 legimus *lux mea*, id satis magno argumento est hanc seriem poematiorum ad Sulpiciae amorem pertinentium falso ascribi Tibullo.

De aliis rebus, quae ad amorem pertinent, ille poeta crassa quadam translatione loquitur:

I 5, 18 nec poteris, qui[1]) sis aut ubi, nosse miser

cf. id quod nos dicere solemus: „du wirst nicht aus noch ein wissen". nos igitur eodem modo pro consilii inopia, qua animus laborat, per translationem hominem errantem ponimus, si quidem ratio quae vocatur abstracta dictione concreta removetur.

II 1, 55 una meos quoniam praedata est femina sensus

similiter Ov. am. I 3, 1 *quae me nuper praedata puella est.*

6, 2 ad cuius iacuit Graecia tota fores

9, 24 di faciant isto capta fruare viro

quamquam alii quoque poetae ac scriptores *fruendi* verbum cum ablativo personae ipsius (exspectes enim *amore* vel aliquid simile) coniunctum usurpant (cf. thes. l. lat. VI 1424, 29 ss.).

24, 40 ferre ego formosam nullum onus esse puto

translate pro *iniurias formosae tolerare.*

34, 17 lecto te solum, lecto te deprecor uno

Rothst.: *deprecari* wird in dieser Bedeutung sonst mit einem abstrakten Objekt verbunden . . . . . . gerade durch Vermeidung des Abstraktums gewinnt der Ausdruck an Kraft.

III 3, 50 qui volet austeros arte ferire viros

IV 5, 44 cum ferit astutos comica moecha Getas

ferire expresse i. q. nos dicimus: „betölpeln".

8, 88 respondi

Rothst.: derb und mit absichtlicher Betonung des Natürlichen, etwa „ich tat meine Schuldigkeit" . . . . . Properz wird sich an einen Ausdruck der an drastischen Wendungen dieser Art reichen Sprache des Lebens angeschlossen haben. sic recte mea quidem sententia Rothstein. aliter multoque languidius illud verbum interpretatur Birt, Die Cynthia des Properz p. 123: Das *respondi* steht entweder mit Weglassung eines Dativs (wie *eius desiderio*), oder aber es ist als *iterum spopondi* zu verstehen.[2])

Ex locutionibus, quae universe ad hoc genus dicendi spectare videntur, nomino:

I 4, 21 s. et te circum omnis alias irata puellas
differet

---

[1]) Ceterum haud dubie secundum sermonem vulgarem pronomen *qui* hoc loco pro *quis* stat. Schmalz, Lat. Gramm.[4] pp. 272 et 359; Uhlmann l. l. p. 75.

[2]) In locis eiusmodi numerari non potest III 13, 9 *haec etiam clausas expugnant arma pudicas;* nam colorem verbi *expugnandi* longe alium esse atque nostrae vocis *erobern* vulgariter ad amorem pertinentis ex peracta similitudine vere poetica *(clausas, arma)* intellegitur.

differre aliquem i. q. *diffamare* ante Propertium occurrit Plaut. Aul. 446, Epid. 118, Pseud. 359, Caec. com. 157, Acc. trg. 459. his accedit ex scriptoribus florentis aetatis Propertius solus (thes. l. lat. V 5, 66 ss.). hic simillima vi *traducendi* verbum adhibet II 24, 7 *nec sic per totam infamis traducerer urbem,* cuius usus exempla exstant apud Iuvenalem (Rothst. ad h. l.).

5, 22 aut cur sim toto corpore nullus ego

Rothst.: *nullus sum* stammt aus der Umgangssprache.

II 3, 1 s. qui nullam tibi dicebas iam posse nocere,
haesisti

„du bist hängen geblieben". per eandem translationem de hominibus aliqua necessitate oppressis loquitur Pompeius ap. Cic. ad Att. VIII 12 C 1 *quae si copiae in unum locum fuerint coactae . . . . . . haerebis* et simillime atque Propertius lena apud Ovidium dicit am. I 8, 24 *haesit et in vultu constitit usque tuo.*

16, 10 dic alias iterum naviget Illyrias

exspectes *in aliam provinciam.* sed hoc quoque loco pro universa notione aliquid certi ponitur, si quidem nominatur Illyria, quam provinciam a praetore illo iam expilatam esse antecedentes versus huius carminis docent, quamquam quaevis alia provincia idem passura videtur esse.

34, 14 a domina tantum te modo tolle mea

se tollere ceteroquin propria tantum vi scilicet „sich in die Höhe erheben" (sic saepe apud Ovidium) exstare videtur. hoc loco Propertiano verbum aspere pro „sich fortheben" dicitur idque mea quidem sententia secundum vulgarem dictionem, qua verba eundi reflexive ad significationem augendam reddi solent (cf. supra de iunctura *se referre*).

IV 1, 70 has meus ad metas sudet oportet equus

verbum *sudandi* hac vi scilicet *contendendi* vel *nitendi* et Horatius[1]) et Iuvenalis et Persius saturarum scriptores frequentant. praeter eos Vergilius simillime atque Propertius georg. III 202 s. *hinc vel ad Elei metas et maxuma campi sudabit spatia.* hic autem poeta illius verbi usurpatione, si recte video, id ipsum spectat, ut equi firmitatem patientiamque significet (cf. ea quae sequuntur: *et spumas aget ore cruentas*), cum Propertius nihil proprii verbo *sudandi* μεταφορικῶς pro *currere* adhibito pronuntiet.[2]) similiter legimus

3, 62 succinctique calent ad nova lucra popae

Rothst.: „sie sind beschäftigt". haec translatio haud dubie in

---

[1]) In carminibus semel tantum (I 15, 10) substantivum *sudor* stat idque, ut ait Heinze interpres, „dem epischen Ton zuliebe".

[2]) Prop. IV 8, 78 *(cave) lectica tuae sudet aperta morae.* sic omnes codices, at vix recte; nam praeterquam quod lectica pro lecticariis sudare

usu cottidiano trita reperitur e. g. Iuv. VI 149 *interea calet et regnat poscitque maritum pastores* (Rothst.), Cic. ad Att. VII 20, 2 *etsi te ipsum istic iam calere puto,* Hirtius ibidem XV 6, 2 *an ego, cum omnes caleant, ignaviter aliquid faciam?*

1, 73 accersis lacrimas cantans

hanc dictionem propter perspicuitatem atque vigorem, quo lacrimae velut homines accersi dicuntur, aliquid vulgare habere puto.

Praeter haec exempla duo loci carminis IV 5 aperte ad illam rationem loquendi pertinent:

29 et simulare virum pretium facit

attendas velim, quantam vim hoc enuntiatum prae se ferat, si quidem illa quam supra notavi brevitate adhibita vocabulum viri per emphasin pro amore vel consuetudine viri positum est atque illud *pretium facit* proprie ac perspicue significat i. q. *utile est* (cf. supra p. 54 ss. de usu verbi *faciendi*). quantum incultus sermo Properti ab elegantia et facilitate Ovidi differat, clare atque distincte intellegas, si compares illum versum Propertianum cum Ovidi am. I 8, 71 *nec nocuit simulatus amor. sine, credat amari.*

35 s. ingerat Apriles Iole tibi, tundat Amycle
natalem Maiis idibus esse tuum

et *ingerendi* et *tundendi* verba valent *iterum ac saepius commonere.* vernaculis vocibus optime ea reddas „beibringen" et „darauf stoßen". eum usum sermone cottidiano proficisci, id quod vel ratione illius loci Propertiani exigitur, his testimoniis commode affirmatur: Petr. 36, 7 *ingerebat*[1]*) nihilo minus Trimalchio lentissima voce: Carpe, Carpe* et Ter. Hec. 123 *tundendo atque odio denique effecit senex* (Rothst.).

Sed haec duo exempla fortasse minus apte afferuntur; nam Propertium in carmine IV 5 consulto orationem plebeiam lenae exprimere probabile videtur. quod iudicium praecipue κομματικὴ λέξις in verbis illius (vv. 27—62) conspicua suadet,

---

audacius dicitur, inepte *sudare tuae morae* stat; nam lecticarii, quotiens subsistunt, non sudant, sed respirant. quod Hosius ex coniectura Gruteri praebet *se det,* id mihi quidem non ita valde placet. quamquam nihil habeo probabilius, ita ut verbo huius versus crucem illam praeponendam esse censeam, quo corruptela adhuc insanabilis indicatur. ceterum Rothstein difficultatem lectionis *sudet* eo modo tollere studet, ut poetam in conversatione cum domina lecticariorum gradus aequare ex illis verbis intellegat. quae interpretatio haud ita improbabilis videtur, quamquam substantivum *mora* eo significatu audacter positum esse notes velim. nam Ov. ars am. I 487 ss., qui locus argumenti causa ab eo affertur, illud ad ambulationem pertinens apte stat, quoniam is, qui in porticu ambulat, eodem loco manet.

[1]) Ceterum *ingerere maledicta, probra, convicia* satis saepe occurrit ac ne a culta quidem oratione abest, e. g. Tib. II 5, 101 *maledicta ingerere,*

velut uno disticho (v. 27 s.) quattuor mandata conclusa sunt atque in versibus 29 s. tria enuntiata ἀσυνδέτως leguntur:

sperne fidem, provolve deos, mendacia vincant,
frange et damnosae iura pudicitiae.
et simulare virum pretium facit: utere causis:
maior dilata nocte recurret amor.[1])

Denique brevibus disserere placet de dictione quadam Properti propria, ex qua vis et simplicitas sermonis singulari modo coniunctae elucent. ad eas enim translationes, de quibus in hac parte agimus, pertinet, quod non relatio logica, quae est inter personam ac notionem infinitam, pronuntiatur, sed haec illi personae ipsi exaequatur, velut pro *tibi sum furori* simpliciter stat *tibi sum furor* (Prop. I 18, 15, cf. Rothst. ad I 2, 17). sane quidem hic modus dicendi apud omnes poetas occurrit, sicut legimus Tib. II 3, 31 *fabula nunc ille est,* tamen primum eum cottidiano sermoni aptissime convenire consentaneum est, ut exstat frequentissime apud Plautum (Lindsay, Syntax of Plautus p. 19), deinde Propertium iterum ac saepius ei dictioni indulgere notes velim, id quod nemo non animadvertet, qui vel pauca carmina huius poetae legerit (cf. Uhlmann, qui iniuria soli metro fere hanc dictionem condonat, l. l. p. 37). huc accedit, ut ille compluries meo quidem sensu audacius quam apud alios poetas fieri solet, tales translationes adhibet.

I 11, 23 s. tu mihi sola domus, tu, Cynthia, sola parentes,
omnia tu nostrae tempora laetitiae

audaciam ac neglegentiam sermonis Propertiani manifestius agnoscimus comparantes illum locum Homericum haud dubie a poeta expressum:

Z 429 s. Ἕκτορ, ἀτὰρ σύ μοί ἐσσι πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ
ἠδὲ κασίγνητος, σὺ δέ μοι θαλερὸς παρακοίτης

hic Andromacha solis aliis hominibus eadem esse dicitur, Propertius Cynthiam etiam domui ac temporibus laetitiae exaequat.

---

[1]) Quamquam Properti carmina legens id ipsum spectavi, ut discrimina dictionis ex argumentis repeterem, nihil fere eiusmodi inveni, nisi quod in quarto libro nonnulla vestigia prisci sermonis ad speciem illorum carminum bene apti occurrunt (e. g. IV 2, 55 *divum sator,* 4, 2 *fabor,* 9, 1 *qua tempestate*): neque formis neque delectu verborum neque universa elocutione carmina Propertiana inter se differunt, velut in magnifica illa elegia IV 11 satis multa exstant, quae aliquibus locis disputationis notata sunt: 47 *mi,* 50 *ulla* (subst.), 56 *in me* i. q. „was mich angeht", 66 *consule quo facto,* 79 *si quid doliturus eris.* qua ex re apparet, ut puto, Propertium non consulto occasione data orationem demittere, ut forma et res inter se congruant, velut Vergilium aliquoties (cf. Norden, Aen. VI p. 239) Horatiumque in sermonibus, immo vero singulas res extraneas plerumque prae gravitate sententiarum neglegere.

II 1, 78 huic misero fatum dura puella fuit
substantivum *fatum* metonymice de personis, quae aliis fatum afferunt, cum verbo *esse* coniunctum florente aetate non exstat nisi hoc loco Propertiano (thes. l. lat. VI 361, 30 ss.).

4, 15 nam cui non ego sum fallaci praemia vati?
nostrates eodem modo „ich bin jemandes Beute“ dicunt.

24, 16 fallaci dominae iam pudet esse iocum

25, 48 una sit et cuivis femina multa mala

III 7, 28 dicat: et audaci tu timor esse potes

25, 1 risus eram positis inter convivia mensis.

Deinde huc spectat dictio qualis occurrit:

I 12, 11 non sum ego, qui fueram (scil. für die Geliebte).
hoc quoque loco pro infinita dictione Propertium distincte ac sensibus apte loqui animadvertimus; neque enim bona gratia vel amor prioris aetatis cum praesenti comparatur (cf. v. 7 *olim gratus eram*), sed homo amatus gratia mutata quasi alius factus esse dicitur. saepius eodem sensu neutrum pronominis stat, quo haec dictio plus habeat vigoris, si quidem eo modo aut amplitudo concretae notionis augetur (nostratibus verbis dixerim „Streben nach Totalität der Anschauung“)[1]) aut contemptio quaedam sermoni inseritur.

I 11, 25 s. seu tristis veniam seu contra laetus amicis,
quidquid ero, dicam: Cynthia causa fuit

13, 36 et quodcumque voles, una sit ista tibi

15, 32 sis, quodcumque voles, non aliena tamen

19, 11 illic, quidquid ero,[2]) semper tua dicar imago

---

[1]) Ob id ipsum legimus:

II 17, 9 durius in terris nihil est, quod vivat amante — non *nemo, qui*

22, 18 mi fortuna aliquid semper amare dedit — non *aliquam* quae est falsa coniectura Heimreichii

33, 42 est quiddam, quod vos quaerere cogat Amor — non *sunt quidam, quos.*

ceterum omnino studium quam amplissima comprehendendi Properti proprium est, ut qui frequentissime ponat vocabula *totus*, *quisquis*, *quicumque*, *si quis* aliaque similia. praeterea cf. I 6, 23 s.

et tibi non unquam nostros puer iste labores
adferat et lacrimis omnia nota meis,

id quod satis ieiune dici vix neges.

II 15, 50 omnia, si dederis oscula pauca, dabis
cf. supra p. 49.

19, 16 omnia ab externo sint modo tuta viro

cf. Rothst.: *omnia tuta* eine der Umgangssprache geläufige Wendung. etiam ea, quae de forma *haec* II 15, 22 supra (p. 49) dicta sunt, huc pertinent.

[2]) Hoc loco membrum apte stat de natura incerta mortuorum.

II 6, 26 si cuivis nuptae quidlibet esse licet[1])
9, 1 iste quod est, ego saepe fui
20, 26 quidquid eram, hoc animi gratia magna tui
25, 36 essem ego, quod nunc tu
III 24, 6 ut, quod non esses, esse putaret amor.

hanc rationem loquendi praecipue ad communem consuetudinem pertinere persuasum habeo. cuius exempla quamquam etiam ab ornatis scriptoribus praeberi haud abnuerim, tamen Propertius, nisi fallor, inter omnes florentis quidem aetatis auctores eminet.

Conclusio

Multis proprietatibus sermonis Propertiani percensis demonstravisse mihi videor poetam indole sua commotum nequaquam vocum verborumque elegantias sectari, immo extraneam formam magna cum securitate neglegere.

Hoc ipsum non minus affirmatum videmus illius de metro elegantique sono socordia, quam accuratius aliquando disquirere opus erit, hoc loco paucis verbis adumbrare liceat.

Sunt enim in Propertio, ut ad singularia tantum revocem, non minus triginta duo hexametri in duo monosyllaba exeuntes, cum Tibullus unum praebeat exemplum et ceteri poetae aequales rarissima (cf. Norden, Aen. VI p. 448) ac multa variaque genera elisionum, quae in Hosii indice metrico digesta enumerantur (p. 180 s.). praeterea inveniuntur tres hexametri pessime compositi:

II 33, 9 cum te iussit habere puellam cornua Iuno
III 6, 25 non non moribus illa, sed herbis improba vicit
IV 7, 41 et graviora rependit iniquis pensa quasillis.

cf. Rothst. ad II 33, 9. huc accedunt satis multae syllabae in arsi inusitate productae (cf. Rothst. ad II 8, 8 et 13, 25).[2])

Deinde passim in carminibus Propertianis cacemphata quae vocantur (cf. Serv. Aen. II 27, Norden, Aen. VI p. 150 s.) occurrunt velut I 2, 31 *semper eris,* 3, 16 *arma manu,* 6, 33 *carpere remis,* II 8, 32 *Dorica castra* (hoc etiam IV 6, 34, Verg. Aen. II 27, VI 88, Ov. her. 15, 370), 18, 30 *formosa satis,* 32, 16 *ore recondit,* IV 4, 26 *hasta Tati,* 8, 20 *si sine me.*

---

[1]) In sollemni dictione exspectes *facere* pro *esse*, quae forma sententiam secundum sermonem familiarem reddat superlatam. utramcumque lectionem substituimus, *cuilibet esse*, quam Baehrens secundum codices DV probat, an *quolibet ire* ex coniectura Schraderi, enuntiatio ut elegantior ita multo languidior fit.

[2]) [Has proprietates metricas apte convenire ad id, quod per hunc libellum pertractare studui, nunc Rothstein ipse communibus verbis iudicat II p. 383 ad IV 5, 64: Der offenbar gewollten drastischen Vulgarität des Ausdrucks entspricht hier auch eine Nachlässigkeit der Form, wie sie der volkstümlichen Metrik geläufig ist.]

Huc pertinet singularis locus II 7, 11 s.

ah mea tum qualis caneret tibi tibia somnos,
tibia funesta tristior illa tuba.

Lachmann atque Hertzberg interpretes *tibi tibia* adnominationem propter ingratum sonum respuendam esse arbitrati probant *tibi Cynthia,* quod codices deteriores ob eandem causam insertum praebere videntur. sed haud dubie illud *tibi tibia* recte se habet; nam primum vocabulum *illa* in pentametro nisi epanalepsi adhibita (*tibia* — *tibia tristior illa*) non apte convenit, deinde simillima structura sententiae invenitur:

II 28, 25 s. quod si forte tibi properarint fata quietem,
illa sepulturae fata beata tuae

IV 1, 125 s. scandentisque Asisi consurgit vertice murus,
murus ab ingenio notior ille tuo.

Tum has compositiones verborum suavi sono plane carere vix negari potest:

II 18, 29 de me mi certe poteris formosa videri
cf. supra p. 58.

IV 1, 138 et Veneris pueris utilis hostis eris
10, 20 et galea hirsuta compta lupina iuba.

dissimilitudo syllabarum ad rem ipsam non pertinet, quia eaedem vocales quamquam dispares ut ὁμοιοτέλευτοι a veteribus sentiebantur. cf. schol. Aen. IV 504 *at regina pyra: notatus est hic versus; vitiosa enim est elocutio quae habet exitus similes, licet sit casuum dissimilitudo* (Norden, Aen. VI p. 405).

Denique neglegentiae testimonium est, quod Propertius saepius bina disticha eodem verbo confinit: I 8, 24; 26 *mea est.* 42; 44 *mea est.*[1]) II 15, 24; 26 *dies.* III 10, 16; 18 *caput.* 24, 2; 4 *meis.*[2])

Summo igitur iure Rothstein (I p. 476) universe hoc iudicat: Properz' Klanggefühl ist offenbar weit weniger ausgebildet als seine Empfänglichkeit für visuelle Eindrücke.[3])

---

[1]) Hoc loco illud apte iteratur, quoniam summa cum laetitia poeta se Cynthiam sibi reconciliavisse pronuntiat.

[2]) Haec exempla affert Vahlen, Sitzungsber. d. Berl. Akad. 1881 p. 359 = Ges. Schr. II (1923) p. 132 s., ut confirmet transpositionem a se propositam II 9, 13, 14, 11, 12.

nec non exanimem amplectens Briseis Achillem 9
candida vesana verberat ora manu, 10
et dominum lavit maerens captiva cruentum 11
propositum flavis in Simoenta vadis, 12
foedavitque comas, et tanti corpus Achilli 13
maximaque in parva sustulit ossa manu 14

sed hoc conamen cohaerentiae sententiarum corrigendae reiciendam esse puto, quia *ossa* vocabulum minime de corpore hominis recenter mortui stat.

[3]) Notatu dignum videtur Propertium haud raro elegantes pentametros, quorum membra aequaliter distributa sunt, sectari:

His singulis rebus pertractatis, ut summam faciam totius disputationis, Propertium non interdum, ut iudicat Mauricius Haupt (opusc. I p. 85), sed frequentissime inculto sermone uti manifestum est. hac sententia commune iudicium de poesi Propertiana ferri nolim opineris, immo vero ut minor arte, ita maior ingenio hic poeta Tibullo comparato est (cf. Leo, Kultur der Gegenwart I 8³ p. 449, Norden, Einl. i. d. Altertumswissensch.³ I 4 p. 60). plenus enim affectuum non sollemni concinnitati sermonis studet, sed ut animus eius magno ardore inflammatur, ita dictio aliquid licentiae et excitationis prae se fert, unde fit, ut et saepe sermonem paene novans summa cum audacia sententias pronuntiet et haud raro cottidiana dictione usus multa neglegat, quae cultae illius aetatis orationi apta videntur. hanc rem commentatione explorare studui, in ambabus rebus ea quae vocatur στρυφνότης vel αὐστηρότης Properti consistit.

Appendix

De fide codicum qui inscribuntur D et V Propertianorum

Etiamsi post Baehrensii editionem (Lpz. 1880) infeliciter institutam et pravam nemo iam dubitat et codici Neapolitano summam auctoritatem attribuere et Propertio ipsi permulta audaciora redonare, quae cum alii philologi litterarum traditarum nimis neglegentes tum editor ille libidine quadam emendandi innumerabilibus coniecturis ei surripuerunt, tamen de textu carminum Propertianorum restant, quae accuratius tractanda sint. e quibus depromam, quid de codicibus qui inscribuntur D et V gemellis iudicandum sit. de hac classe[1]) usque adhuc viri docti ambigunt, si minus eo modo, ut quisquam Baehrensii exemplum secutus eos pro optimis testibus habeat, at tamen utrum omnino nonnullis locis aliquid reser-

I 12, 20 Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit
II 3, 44 uret et Eoos, uret et Hesperios
5, 28 Cynthia forma potens, Cynthia verba levis
6, 42 semper amica mihi, semper et uxor eris
16, 2 maxima praeda tibi, maxima cura mihi
20, 36 nec cito desisto nec temere incipio
28, 42 vivam, si vivet; si cadet illa, cadam.

huc etiam pertinet II 26, 28 *qui dare multa potest, multa et amare potest?* quo in versu poeta linguae latinae etiam vim infert, ut membra inter se respondeant. iniuria critici hoc tollere studuerunt, cum proponerent *multum* (Francius) aut *multa negare* (Markland) aut *non et amare* (Santen) aut *multa in amore* (Burmann).

[1]) Utri ex his duobus codicibus palmam demus, nihil interest, cum nos nihil nisi lectiones eius classis proprias examinemus.

vaverint veri an iterum ac saepius impudentissime sint interpolati ideoque in textu constituendo plane abiciendi.

Hoc suadet, quoad video, primus Leo, Rh. Mus. 35 (1880) p. 447 eique consentiunt ex editoribus Phillimore, praef. p. 3 ac Rothstein I p. 455. ex aliis, qui de textu Propertiano singillatim disseruerunt, D et V quicquam valere vehementer negant Richmond, Journ. of Phil. XXXI (1910) p. 166, Ullmann in recensione editionis Hosianae (Class. Phil. VII 1912 p. 521)[1]), Jacoby, Rh. Mus. 69 (1914) p. 396.

Ab altera parte sunt, qui illis codicibus gemellis aliquid attribuant pretii. quodsi priores editores criticosque silentio praetermittimus, qui alii aliud sentientes partim huic partim illi classi maiorem minoremve auctoritatem vindicant, cum scripturas elegantiae specie non raro blandientes secure praeferant, primus via ac ratione usus illud defendit Leo, Gött. gel. Anz. 1898 p. 728 ss. improbans enim, quod Rothstein in editione codici Neapolitano soli fere obsecutus ceteros nimis neglegat, se paenitere dicit, quod ipse quoque olim (cf. supra) illi tantum tribuerit pretii, ut ceteros omnes interpolatos esse, eum autem plerumque veram scripturam servasse censeret. potius in archetypo duplices fuisse lectiones verisimile esse. quod ad iudicium firmandum ipse nonnullos locos tractat. ei generaliter assentitur Hosius in editionis praefatione p. X et usque ad nuperrimam aetatem de auctoritate quadam gemellorum DV codicum cogitari invenimus. cf. F. Levy, Jahresber. d. philolog. Vereins zu Berlin 1921 p. 96 s.: Das Urteil Rothsteins über die deteriores „völlig wertlos“ geht doch wohl ein wenig zu weit.[2])

Quae cum ita sint, quam plurimas scripturas illius familiae proprias, quamvis dilucidae persaepe interpolationes sint, in ordinem redigere operae pretium videtur. hoc enim modo non raro facillime controversia, quae est de ambiguis lectionibus, disceptari potest. praeterea sic aliquid de natura et ingenio librariorum tam frequenter in errorem legentes inducentium cognosci poterit.

Ac primum quidem, ut a levissimis discrepantiis ordiamur, sescentae corruptelae, ut assolet in plurimis codicibus, per

---

[1]) Idem iudicium ex eo quoque apparet, quod ille vir doctus in disputatione antecedentis anni (The manuscripts of Propertius, Class. Phil. VI 1911 p. 282 ss.) codicibus NAF solis tractatis ne commemorat quidem ceteros.

[2]) Hanc adnotatiunculam eo magis respiciendam esse puto, quod ille Buergeri viri docti nuper mortui de codicibus Properti et Tibulli quaestionem nondum publicatam conservat (cf. l. l. 1922 p. 141 adnot. 1), qua quodammodo nisum cum illud iudicare confido. ceterum similiter iudicat Alfredus Klotz, Philol. Wochenschr. 1925 col. 908.

errorem scribendi ortae exhibentur, si quidem vocabula quaedam similibus extruduntur. e. g. II 23, 10 *in nuda*, 31, 8 *invida*, III 6, 29 *stygis*, 18, 20 *semina*, IV 1, 145 *nullae* DV (V_1), sed recte in ceteris codicibus *immunda*, *vivida*, *strigis*,[1]) *gemmea*, *mille* multaque id genus alia. quae omnia menda festinante pede transilire licet, nisi quod hos duos codices arcte inter se pertinere ex iis bene intellegimus; nam talia in omnibus codicibus exstant.

Saepe in familia DV aliquid metri causa mutatum invenitur velut II 28, 29 *et tibi Maeonias inter heroidas omnis*. in ceteris omnibus codicibus brevis syllaba in quarta arsi hexametri producta stat idque summa cum audacia; nam alia eiusmodi exempla Propertiana ad caesurae locum pertinent (cf. Rothst. ad II 8, 8 et 13, 25). codices DV autem praebent *et tibi Maeonias omnis herodias* (levi mendo pro *heroidas*) *inter*. qua mutatione metrum quidem in ordinem refertur, sed voce *inter* quarto loco posita haud dubie latinitati vis fit. aliud exemplum praebet III 5, 23 ss.

atque ubi iam Venerem gravis interceperit aetas
† sparserit et integras † alba senecta comas,
tum mihi naturae libeat perdiscere mores.

sic N, ceteri codices veteres pentametrum per vim in metrum coartatum exhibent: *sparsit* FL, quae forma post alteram scilicet *interceperit* nullum habet locum, *sparserit integras* DV non minus falso, quamquam id probat Phillimore editor. nam praeterquam quod vix quisquam dicat, unde veniat *et* particula, fieri non potest, ut asyndeton bimembre statuamus, et si cum illo viro docto v. 24 pro apodosi habemus, ratio, qua sententiae se excipiunt, turbatur: in vv. 19—22 poeta pronuntiat, quid se iuvet in prima iuventa, deinde v. 23 ss., quid in senecta. quodsi illud distichon a sequentibus versibus disiungimus, nova cogitatio inseritur, quae et supervacua est et cursum dicendi inepte moratur. rectam emendationem exhibent codices humanistarum: *sparserit et nigras*. hoc modo optima antithesis (*nigras*, *alba*) oritur, qua usus Ovidius Propertium exprimit trist. IV 8, 2 *inficit et nigras alba senecta comas*. denique inter talismodi discrepantias commemoro:

I 6, 25 me sine, quem semper voluit fortuna iacere
voluit semper DV_1

20, 11 nympharum semper cupidas defende rapinas
cupidas semper DV.

quoniam vix casu idem vocabulum bis per errorem loco suo

1) Pro raro substantivo in familia DV aliud stat, quod a ratione loci haud ita alienum est.

motum est, librarium quendam certas ob causas vel metri vel soni textum immutavisse probabile videtur.

Tum ob regulas grammaticas mutationes in familiam DV, si recte video, irrepserunt. ex multis eiusmodi locis nonnullos affero, quibus iniuria recentiores critici fisi sunt illis interpolationibus.

I 19, 9 s. sed cupidus falsis attingere gaudia palmis
Thessalus antiquam venerat umbra domum

Thessalis DV, Leo l. l. p. 728. equidem valde dubito, adiectivumne *cupidus* sine ullo substantivo propter duo altera vocabula *Thessalis umbra* stare possit, cum subiecto *cupidus Thessalus* commode appositionis loco vocabulum *umbra* hoc est νέκυς ὤν additum sit. quam liberiorem dictionem parum intellegens nescio quis adiectivum *Thessalis* substituisse videtur, ut duo illi in pentametro nominativi inter se accommodarentur. ceterum quod affert Leo ad scripturam familiae DV stabiliendam versum quendam posterioris aetatis scilicet carm. lat. epigr. 1110, 4 *hoc tumulo Mygdonis umbra tegor*, imitatione Properti eum expressum esse arbitratus, mea quidem sententia minime probabile est; quonam modo illi duo versus inter se similes sunt solo substantivo *umbra* excepto?

Ad alterum venio locum ex religione grammatica audacter cum specie quadam probabilitatis mutatum:

II 16, 11 s. Cynthia non sequitur fasces nec curat honores:
semper amatorum ponderat una sinus.

illa DV. consentaneum est vocem *una* loco motam esse, quia sensu carere videbatur. at non caret; nam Propertius frequenter nominativos vocum *unus* et *solus* propria relatione neglecta in sententia ponit idque, si quid video, ex vulgari consuetudine. praeter hunc locum alia exempla eius usus inveniuntur II 20, 27; 33, 41; III 7, 42; IV 8, 48; 9, 60 (Rothst. ad I 12, 13).

Tertium accedit III 11, 21 ss.

Persarum statuit Babylona Semiramis urbem,
ut solidum cocto tolleret aggere opus,
et duo in adversum missi per moenia currus
nec possent tacto stringere ab axe latus.

ne DV, Hosius, Rothst., alii. Rothsteinii interpretatio contorta[1])

---

[1]) Dem ersten *ut*, das nur konsekutive Bedeutung haben kann, „in der Weise, daß" entspricht nicht ein Gedanke wie *ut possent duo currus ire latus non stringentes*, sondern dieser zweite Teil der Beschreibung wird negativ und als Absicht der Erbauerin gedacht, trotzdem aber *possent* beibehalten, das zu der dem ersten Gliede entsprechenden Ausführung des Gedankens passen würde, während die hier gewählte Art bei logisch genauer Ausführung ein einfaches *ne stringerent* oder *ne necesse esset stringere* erfordern würde.

sola lectione codicum DV nititur. quod ceteri praebent scilicet *nec*, rectum esse iudico, si quidem aut vox *nec* vim habet *ne — quidem*, quem usum praecipue inferiorum scriptorum proprium (cf. Schmalz, Antibarbarus s. v. *nec*) fortasse etiam Propertio condonare licet, aut, id quod proponit Tyrell, legimus *mitti*,[1]) ita ut locus corruptus ut saepe in iis codicibus (cf. infra p. 83 ss.) falso correctus sit. quoquo modo res se habet, id mea quidem sententia certum est textum classis DV nimis intricatum esse quam ut latinitas probetur.

Alios locos, quibus illic interpolationem comparere editores recentioris aetatis plerique consentiunt, afferre liceat, ut intellegatur, quanta violentia omnismodi offensiones sublatae sint.

I 9, 31 illis et silices et possint cedere quercus

possunt DV. Propertius, quotiens gradationis causa quasi παράδοξον inducit, modum adhibet potentialem (cf. I 13, 31 et II 3, 10), quamvis exspectes indicativum.

17, 6 aspice, quam saevas increpat aura minas

increpet DV_1. de indicativo in talismodi enuntiatis cf. Lachm. ad I 2, 9, Rothst. ad II 16, 30, Norden, Aen. VI p. 290.

II 1, 19 s. non ego Titanas canerem, non Ossan Olympo
impositam, ut caeli Pelion esset iter

impositum DV, ut esse solent nomina montium masculini generis. de *Ossa* cf. Neue I p. 953.

3, 10 lilia non domina sint magis alba mea

sunt DV. cf. supra ad I 9, 31.

9, 43 s. te nihil in vita nobis acceptius unquam:
nunc quoque eris, quamvis sic inimica mihi

sis DV, Rothst. sed primum *sis inimica* minus expresse sonat, deinde iunctura *quamvis sis* cacophoniam quae vocatur oriri notes velim (cf. Birt, Kritik u. Hermeneutik p. 23).

14, 3 ss. nec sic errore exacto laetatus Ulixes,
cum tetigit carae litora Dulichiae,
nec sic Electra, salvum cum aspexit Oresten

suum salvum DV

III 21, 7 vix tamen aut semel admittit, cum saepe negarit

negavit DV_1

IV 7, 7 s. eosdem habuit secum, quibus est elata capillis,
eosdem oculos

capillos DV

11, 81 sat tibi sint noctes, quas de me, Paule, fatiges

fatigas DV

Deinde ob sermonem minus elegantem lectiones haud

---

[1]) [Sic etiam Rothsteinium in altera editione tertii libri modo publicata textum constituere hac commentatione plane confecta addo.]

dubie Propertianas in familia DV exstinctas esse locis quibusdam apparet. supra enim (p. 71 s.) inter proprietates poetae commemoravimus dictionem quodammodo crassam, qualis inest sententiis his:

II 6, 25 s. templa Pudicitiae quid opus statuisse puellis,
si cuivis nuptae quidlibet esse licet?

III 24, 5 s. mixtam te varia laudavi saepe figura,
ut, quod non esses, esse putaret amor.

his locis illa familia ut polite ita multo languidius praebet: II 6, 26 *si quoivis* (sic Baehrens, *quoius* D, *quovis* V) *nuptae quoilibet esse licet* et III 24, 6 *ut, quod non esset, esse putaret amor.*

Passim in codicibus D et V discrepantias deprehendimus, quibus explicatur textus, ita ut dictio poetica tollatur. has omnes certissime posterioribus librariis attribuendas enumerare longum est, tamen satis multas afferre oportet, ut ii talismodi loci, quos etiam nuperrimi editores Propertio assignant, recte iudicentur. quos ipsos diligentius tractandos esse puto, cum ceteros citare satis sit.

I 3, 43 interdum leviter mecum deserta querebar
leviter] graviter DV_1 *querebar] loquebar* DV_1

8, 22 quin ego, vita, tuo limine verba querar
loquar DV_1

9, 27 s. quippe ubi non liceat vacuos seducere ocellos
nec vigilare alio nomine cedat Amor

subducere DV, falsa mutatio secundum I 1, 3 *tum mihi constantis deiecit lumina fastus* (cf. etiam II 30, 9 s. *excubat ille acer custos et tollere nunquam te patietur humo lumina capta semel*), ubi pulcherrima imagine ingens potentia dei Amoris describitur, qui amantes a se victos sub pedibus suis lumina tollere non sinit. sed hoc loco I 9, 27 s. ne verbum *subducendi* apte posita sit, adiectivum *vacuus* obstat: *vacuos oculos seducere* i. q. *ab amata oculos alio convertere.*

11, 15 ut solet amota labi custode puella
amoto DV, praeter alios Baehrens in editione, Enk, Ad Properti carmina commentarius criticus (Zutphaniae 1911) p. 39, sed falso. nam Propertius generaliter loquitur. qua re neglecta librarius poetam ipsum custodis vice se fungentem dicere ratus scripsit *amoto.*

12, 19 mi nec amare aliam neque ab hac desistere fas est
discedere DV

17, 25 s. at vos, aequoreae formosa Doride natae,
candida felici solvite vela choro
choro] noto DV

18, 19 s. vos eritis testes, si quos habet arbor amores,
fagus et Arcadio pinus amica deo

amata DV

21, 9 s. et quaecumque super dispersa invenerit ossa
montibus Etruscis, haec sciat esse mea

quicumque DV, Hosius, Phillimore. locus spinosissimus nobis se offert, qui quam difficilis sit, vel ex eo apparet, quod et Phillimore, qui in editione Oxoniensi ceteroquin codicem Neapolitanum plane fere exscriptum praebet, illud *quicumque* recipit et Baehrens caecus ille admirator familiae DV hoc loco alteram lectionem anteponit. tamen etiam hic interpolationem demonstrari posse puto. probabile enim est *quicumque* vocabulum ab eo substitutum esse, qui quid esset subiectum huius enuntiati non perspiciebat. sororem autem ipsam, cuius in antecedentibus versibus mentio fit, ossa in montibus quaerentem poetam fingere copia materiae quasi epicae, quae hoc carmine continetur, docet. cf. Leo, Gött. gel. Anz. 1898 p. 744 universe de hoc carmine: Stoff eines Epos: Das Stöhnen der Erscheinung, der verwundete Flüchtling, die Gebirgslandschaft, das eroberte Perusia, der Mord in der Wildnis, Eltern und Schwester daheim, die Schwester nach empfangener Kunde in den Bergen schweifend und suchend. deinde *quaecumque* forma probata notes velim pondus pronominis anaphorici *haec,* quod ipsum dictioni Propertianae bene respondet. cf. II 12, 1 s.; 16, 43 ss.; IV 1, 59 s. similis est ille modus dicendi, de quo supra (p. 62) disserui.

II 5, 21 nec tibi periuro scindam de corpore vestes

periurae DV_1

6, 1 s. non ita complebant Ephyreae Laidos aedes,
ad cuius iacuit Graecia tota fores

pedes DV

9, 11 s. et dominum lavit maerens captiva cruentum
propositum flavis in Simoenta vadis

appositum DV. miror, quod Leo (l. l. p. 728) codices DV praeferri vult, quoniam in illa forma significatio imaginis Homericae subsit, quae altera forma accepta deleatur. at primum illud *appositum,* ut quod sit facilius intellectu, suspicionem movet interpolationis, deinde *proponendi* verbum hoc loco optime stat. huius enim compositi vi quae est *ob oculos ponere, palam constituere* expresse indicatur, quam foedum adspectum praebeat Achilles fortissimus ille vir mortuus ad flumen proiectus omnium oculis in se conversis. falsam lectionem familiae DV ut probaret, vir ille doctus eo praecipue adductus videtur esse, quod Vahleno auctore binos versus transponendos

esse (13, 14, 11, 12) iudicabat idque falso mea quidem sententia. cf. supra p. 73 adnot. 2.

15, 22 viderit haec, si quam iam peperisse pudet

hoc DV. cf. supra p. 49.

25, 39 s. at vos, qui officia in multos revocatis amores,
quantum sic cruciat lumina nostra dolor

vestra DV, Leo l. l. p. 733, Hosius. sed cf. Rothsteinii interpretationem (*sic* „wenn ich eurem Rat folge"), cui assensus praesens tempus *cruciat* pro exspectato irreali vel futuro sententiam nervosiorem reddere addo.

29, 41 sic ego tam sancti custode reludor amoris

custos recludor DV, Hosius. non putem dubium, quin illi codices etiam hoc loco foede interpolati sint; nam quid sibi vult verbum *recludendi*? quod habet vim, ut nostro sermone utar, aut „aufschließen, öffnen" (Prop. III 19, 24) aut „zuschließen, einschließen". utrumque ab hoc loco prorsus abhorrere vix est quin censeat. sed etiam coniectura Broukhousii, quam Rothstein probat, scilicet *custos excludor* vix acquiescas; nam primum ea nimis longe a tradita scriptura recedit, deinde iam Lachmann amoris custodem recte dici speculatorem amicae (cf. v. 31 *quid tu matutinus, ait, speculator amicae?*) negat. quae cum ita sint, nisi forte codicem Neapolitanum ulcus inveteratum ac vix sanabile trahere iudicamus, haud scio an iure Hoppe in Satura Viadrina altera p. 17 ss. ad illius lectionem usque adhuc neglectam reversus ea ipsa verum textum exhiberi defendat: *custode reludor amoris* „ich werde von der Hüterin so heiliger Liebe wieder gefoppt". ablativus personae propter passivi formam stat velut Hor. c. I 6, 1 et Ov. her. 12, 161 s.

30, 16 hic locus est, in quo, tibia docta, sones

sonet DV satis ieiune.

III 11, 47 s. quid nunc Tarquinii fractas iuvat esse secures,
nomine quem simili vita superba notat

vocat DV_1

21, 6 at ex omni me premit ipse deus

ille DV_1. cf. supra p. 42.

IV 2, 5 haec mea turba iuvat nec templo laetor eburno

nec me turba iuvat DV. negari non potest haec verba facilius intellegi illis, quae ad perspicienda Vertumnum certo loco scilicet in vico Tusco stantem *(haec turba)* et ipsum quasi de cultoribus suis praesentibus loquentem *(mea)* animo fingere necesse est. tamen de ceterorum codicum vera lectione dubitari non potest. cf. v. 56 *transeat ante meos turba togata pedes.*

6, 59 s. at pater Idalio miratur Caesar ab astro:
sum deus, est nostri sanguinis ista fides

haec verba, quae Caesarem facientem poeta per immoderatam

adulationem fingit (Rothst.: Daß er die Beglaubigung seiner Göttlichkeit nicht aus seinen eigenen Taten schöpft, sondern aus denen seines Sohnes, ist eine besonders raffinierte Schmeichelei), librarius quidam non intellexit. qui cum substitueret *vestri,* quod vocabulum in familia DV legimus (cf. similem interpolationem II 25, 40), sic fere interpretatus est: „ich bin ein Gott, diese Schlacht ist ein Beweis für eure Verwandtschaft mit Göttern".

6, 75 ingenium positis irritet Musa poetis

potis DV, Hosius, Phillimore, Rothstein.[1])

hic locus praecipue dignus est, ex quo intellegamus, quantum acumen ingenii quamvis falsum saepe in classe DV compareat. quo decepti praeter Postgate et Schulze[1]) (Röm. Elegiker. Auswahl aus Catull, Tipull, Properz, Ovid[5] p. 274) omnes editores illud *potis* Propertio assignandum esse iudicant, quod tamen iure, ut interpretor equidem, respuit Jacoby, Rh. Mus. 69 (1914) p. 396 adnot. 2. primo quidem obtutu nemo non *potis* lectionem ut uberiori descriptioni inservientem alteri illi voci quodammodo ieiunae praeferre paratus est. at Propertius saepe participium *positus* simplici illa vi, quae hic locum habet, scilicet „liegend" adhibet: I 3, 15; 8, 7; II 14, 22; 34, 59. deinde autem forma *potis* accepta versus aliquid habet difficultatis, si quidem eum cum pentametro *Bacche, soles Phoebo fertilis esse tuo* coniunctum generalem sententiam exhibere nobis concedendum est, a qua interpretatione nos sevocat coniunctivus *irritet;* nam quis credat inter septem coniunctivos optativos (v. 71 *subeant,* v. 72 *fluant,* v. 73 *fundantur,* v. 74 *lavet,* v. 77 *memoret,* v. 78 *canat,* v. 79 *referat*) medium potentialem stare? quae cum ita sint, minime cum Scaligero legemus *irritat,* id quod nostra aetate suadet Enk l. l. p. 328, sed ceteris adhortationibus versum septuagesimum quintum adiungemus, quo Musa poetis in convivio accubantibus ingenium irritare iubetur.

8, 38 et Methymnaei Graeca saliva meri

grata DV_1. hac quoque mutatione descriptio uberior fit, quoniam *Graeca* propter adiectivum *Methymnaeus* pleonastice stat.

11, 8 obserat herbosos lurida porta rogos

umbrosos DV

Huc pertinet, quod aliquoties in codicibus DV appellativorum formae rariores foede vitiatae sunt tritis formis substitutis.

Clytaemestra III 19, 19 et IV 7, 57, sed *Clytaemnestra* DV. de hac forma spuria cf. Pauly-Wissowa R.-E. XI p. 891.

---

[1]) [Etiam Rothstein in altera editione iam publicata scripturam *positis* probat.]

Cibele vel *Cybele* III 17, 35; 22, 3; IV 7, 61; 11, 51 ceteri codices (III 22, 3 *Cybille* F *Cibile* N), sed omnibus his locis *Cybelle* DV. neque haec forma Hosio probata neque altera *Cybebe*, quam Rothstein accipit, iure stat; nam Rasner l. l. p. 18 demonstrat *Cybelle* formam in universa latinitate non inveniri nisi incert. carm. contr. pag. v. 122 et illud *Cybebe*, quamquam saepe editur, tamen multo rarius tradi quam *Cibele* in libris poetarum manuscriptis et inscriptionibus. praeterea omnibus illis Properti locis *b* litteram a librariis in *l* mutatam esse quis putabit?

Parilia IV 1, 19 et 4, 73 in ceteris codicibus, *Palilia* DV. haec forma ut principalis multo frequentius occurrit altera, ut offerunt eam Tibullus Ovidiusque. quoniam *Parilia* legitur in optimis codicibus apud auctores deteriores velut Varronem r. r. II 1, 9, Festum p. 245, Plinium nat. hist. XVIII 247; XIX 69; 154, Columellam VII 3, 11, Propertius, si recte video, vulgarem formam adhibet, quae ex dissimilitudine consonantium *r* et *l* paulatim percrebruit. haec a cultis poetis respui videtur et ob eam ipsam causam librariis familiae DV displicuit.

Xersis II 1, 22 in ceteris codicibus, *Xerxis* DV ex falsa mutatione. cf. P. Kretschmer, Zeitschr. f. vergl. Sprachforsch. 37 NF. 17 (1904) p. 142 s., qui iuncturam *-rs-* haud dubie apud Romanos in usu fuisse, *-rx-* posteriore medio quod vocatur aevo in consuetudinem venisse multis exemplis demonstrat.

Maxime idonei ad classis DV fidem iudicandam ii loci haud ita pauci sunt, quibus ceteri codices planam corruptelam exhibent, illa lectionem magis minusve probabilem; nam plurimis talium locorum depravatio ex scripturis eius repeti non potest, qua ex re conamina corruptelas corrigendi exstare apertum est. summa igitur cum diligentia caveamus, ne quid eiusmodi Propertio attribuamus, id quod frequenter etiam nuperrimi editores neglexerunt. conspectus causa in hac quoque parte scripturas afferam, de quibus hodie vix quisquam dubitat, nonnullas autem pertractabo.

Aliquot locis congeries litterarum in ceteris testibus plane corrupta in codicibus DV ita mutata apparet, ut vocabulum latinum quamvis illepidum oriatur.[1]) e. g.

II 1, 31 aut canerem Aegyptum et Nilum

[1]) Ceterum classem DV universe litteras sensu casso conscriptas praeter nomina quaedam propria perraro praebere notes velim, id quod mea quidem sententia nos monet iis codicibus editionem medii aevi Propertianam repraesentari, quae ut considerate ita magna cum audacia confecta sit; quamquam eadem paullo uberiore memoria quam N nititur (cf. infra).

Aegyptum ς *giptum* F *cyptum* AN *cyprum* DV. hoc miro modo Hertzbergio interpreti rectum videtur.

3, 24 candidus argutum sternuit omen Amor

candidus Macrobius (Gramm. lat. ed. Keil V 626, 15) *ardidus*[1] NF *aridus* DV

III 7, 22 qua notat Argynni poena minantis aquae

agynni N *argium* F *argynni* L *argivum* DV

12, 29 Lampaties Ithacis veribus mugisse iuvencos

Lamp(h)ati(a)e sit(h)icis O *scythicis* DV

IV 1, 125 scandentisque Asisi consurgit vertice murus

Asisi Lachmann *asis* O *axis* DV

similia inveniuntur III 3, 11; IV 8, 84; 9, 40.

Deinde metrum corrupti versus sensu plane neglecto in classe DV restitutum invenitur:

II 2, 11 s. Mercurio † satis † fertur Boebeidos undis
virgineum Brimo composuisse latus

Mercurioque satis DV. ex criticorum coniecturis probat Hosius *Mercurio et sacris*, Rothstein *Mercurio talis*,

contra mutatione per se apta metrum violatur:

23, 1 cui fuit indocti fugienda haec semita vulgi

haec ς *et* O om. DV.

Sed pergamus ad eos locos graviores, quibus illi gemelli codices depravatum textum ut apte ita falso commutatum exhibeant.

I 13, 36 et quodcumque voles, una sit ista tibi

quodcumque ς *quocumque* O *quaecumque* DV, Hosius. me iudice scriptura *quaecumque* ut interpolata reicienda est; nam quod optimi codices NAF corrupte exhibent *quocumque*, aperte in illa familia male mutatum est, fortasse secundum I 5, 17 *et quaecumque voles, fugient tibi verba querenti.* ab illa autem scriptura pessumdata profecti facillime incidimus aut in *quotcumque* (Lachmann: „quamvis multas voles, haec una tibi sit, haec una instar omnium sit") aut in *quodcumque* (ς). hoc ut usui Propertiano aptius praefero; nam praeter dictionem, de qua supra (p. 71 s.) egimus, sententia ipsa, quae est „omnia tibi sit Cynthia" illo loco bene confirmatur I 11, 23 s., quem iam supra (p. 70) alia de causa commemoravimus.

II 9, 17 tunc igitur veris gaudebat Graecia natis

veris ς *viris* O *castis* DV. correctura humanistarum optime levis corruptela sublata est.[2]

---

[1]) Adiectivum *ardidus* ceteroquin prorsus ignotum hoc loco solo exstare suspicatur Birt, Kritik u. Hermeneutik p. 23.

[2]) Coniecturas Birtii, Die Cynthia des Properz p. 127 proponentis, quia notio quae vocatur „Landeskind" antiquis temporibus rara sit, haec verba: *tunc victura viris gaudebat Graecia amatis* vix quisquam curabit,

22, 47 s. quanta illum toto versant suspiria lecto,
cum recipi, quam non noverit, ille vetat?

cum V_2 *cur* O | *quam* propono *quae* O *quem* ς | *illa* DV | *putat* ς longum est omnes interpretationes cum totius fragmenti II 22, 43 ss. tum versus 48 persequi. ego quidem haec dico: vox interrogativa *cur* vix stare potest, et recte iam Solbisky, De fide codicum Propertianorum (diss. Ien. 1882) p. 188 subitam interrogationem, quam voce *cur* servata fieri non potest quin pro querela decepti iuvenis intellegamus, nimis abruptam esse neque ad hanc structuram quadrare iudicat. sed hac difficultate neglecta restant, quae verba ab Hosio Propertio attributa in suspicionem vocent: *cur recipi, quae non noverit, illa vetat?* „warum lehnt sie ab, mich zu empfangen, weil sie mich nicht kenne?" primum haud dubie oratione obliqua exigitur *quem* (sic etiam humanistarum codices) pro *quae:* „veto eum recipi, quem non novi." deinde illa interpretatio plane repugnat antecedentibus versibus (v. 43 *venito*, v. 46 *speranti subito si qua venire negat*). tum ne obliviscamur formam *illa* solis codicibus DV praeberi, quibus diffidere haud dubie licet. proficiscamur igitur ab optimis codicibus: *cur recipi, quae non noverit, ille vetat?* versum sic exscriptum corruptum esse solus, quod sciam, Birt, Rh. Mus. 64 (1909) p. 407 s. negat: „warum verbietet sie, daß er erfährt, was er nicht weiß?" d. h. „warum will sie die ihm verborgenen Gründe ihrer Weigerung ihn nicht wissen lassen?" sic verba, etiamsi poeta voluisset, ne a latinis quidem hominibus intellegi potuisse credo. praeterea quoniam vox *cur* omnino ab hoc loco aliena est (cf. supra), lectionem alterius manus codicis Vaticani, ut quae saepe exhibeat aliquid veri, scilicet *cum* probare non dubito. ad hoc propono *quam* pro *quae:*

quanta illum toto versant suspiria lecto,
cum recipi, quam non noverit, ille vetat.
et rursus puerum quaerendo audita fatigat.

sic interpretor: „iuvenis suspirans lamentansque in lecto volvitur. sed quidni vilem meretricem arcessi iubet (cf. II 23, 11 ss.; 24, 9; IV 8, 27 s.)? minime, sed ullam puellam, quam non noverit, domum recipi vetat, potius cum sibi temperare non possit, quin de amata sua cogitet, fatigat servum quaerens, quae totiens iam audivit." sententia, quae hac interpretatione fragmento inseritur, vel propterea haud ita improbabiliter hoc

---

qui vel minimum auctoritatis codicibus nostris attribuit. ceterum satis gravia argumenta contra Birtii commentum afferri possunt velut vocabulum *igitur* vere Propertianum temere exstinctum, *victura* participium hoc loco plane ineptum, metrum foedissimum, illud *amatis* tam significanter ab eo intellectum: „Männer, die wahre Frauenliebe und Fürsorge fanden."

loco Propertio attribuitur, quod carmina et antecedens et duo consequentia ad talia spectant. ceterum ne in pronomine *ille* abundanter posito offendas, revoco ad Prop. I 9, 23 ss.:

nullus Amor cuiquam faciles ita praebuit alas,
ut non alterna presserit ille manu.
nec te decipiat, quod sit satis illa parata:
acrius illa subit, Pontice, si qua tua est.

qua de interpretatione iudicent critici docti, aliam nescio, ab humanistarum aetate (cf. Rothst.: *cum recipi, quem non noverit illa, putat*) usque adhuc temptatas improbo.

29, 35 s. apparent non ulla toro vestigia presso
signa volutantis nec iacuisse duos

volutantis LF_2 *voluntatis* NF *voluptatis* DV. quam scripturam vix recte Propertio tribui, id quod Hosius atque Rothstein opinantur, supra (p. 27 s.) exposui.

32, 8 Cynthia! sed timeo, credere turba vetat

timeo FL *time* N *tibi me* DV, Hosius, Phillimore, Rothstein. etiam hoc loco meo quidem iudicio in familia DV textus depravatus falsam mutationem passus est ac summo iure id praeferre licet, quod aut ex vetere memoria aut ex correctura codices FL offerunt, scilicet *timeo*. primum enim in dihaeresi pentametri plerumque gravem vocem stare Rothstein ipse in appendice (I p. 496) concedit, deinde *timeo* vocabulum παρενθέτως pro exclamatione insertum bene vigori huius loci atque omnino dictioni Propertianae respondet (similiter II 23, 19 *nec dicet: 'timeo: propera iam surgere, quaeso'*).

34, 53 nec si post Stygias aliquid restabimus undas

restabimus undas Wassenberg *restabit* N *restabit erupnas* FL *restaverit undas* DV. vel formatione pravissima *restaverit* satis superque improba interpolatio indicatur. ceterum inspicias velim Haupt, Opuscula II p. 58 ss., qui et luculenter coniecturas innumerabiles a criticis propositas falsas esse ostendit et ingeniose versum a Wassenbergio sanatum interpretatus est.

34, 59 me iuvet hesternis positum languere corollis

hesternis V_2 *externis* NF_2 *eternis* FL *aeternum* DV

III 5, 19 ss. me iuvet in prima coluisse Helicona iuventa,
Musarumque choris implicuisse manus:
me iuvet et multo mentem vincire Lyaeo
et caput in verna semper habere rosa.

19 *iuvet* Rothst. *iuvat* O 21 *iuvat* DV. meo quidem iudicio illud par formarum *iuvat, iuvet* consensu omnium fere codicum testatum probari nequit, quamquam probant Hosius et Phillimore editores; neque enim erat, quod poeta dictionem anaphoricam sententiis similibus aptissimam consulto exstingueret.

quaerimus igitur, utrum *iuvat* an *iuvet* dupliciter positum esse censeamus. primo quidem obtutu Enk (l. l. p. 220) recte iudicare videtur his verbis usus: „quid aliud exspectare possumus nisi indicativum? suam enim opinionem poetam aliorum rationi vivendi quam firmissime opponere velle nemo non intellegit.“ ergo poeta v.v. 19—22 praesentis temporis scilicet iuventae studium, v. 23 ss. futurae senectutis exponere putandus esset. at hoc quoque loco, si recte video, familia DV falsum correcturae conamen praebet et cum Rothsteinio duobus illis locis legendum est *me iuvet.* nam primum haud dubie facilius in versu 19 ex forma *iuvet* indicativus per corruptelam oriri potuit quam altero loco post formam *iuvat* ex hac eadem forma illud *iuvet,* deinde iunctura *me iuvet,* cum indicativus nusquam exstet, Properti propria est, quippe quae inveniatur II 13, 11 et 34, 59, ubi indicativus suum haberet locum,[1]) eaque secundum vulgarem rationem loquendi; in cottidiano enim sermone persaepe accurata ratione logica neglecta verba optandi per modum optativum redduntur, id quod generaliter nuper exposuerunt Kroll, Glotta VII (1916) p. 129[2]) et Wackernagel l. l. I p. 60. ex eodem Propertio similis dictionis exempla afferri possunt II 13, 25 *sat mea sit magna, si tres sint pompa libelli* et III 5, 25 *tum mihi naturae libeat perdiscere mores*; nam hoc loco exspectes *libebit.*

5, 35 cur seros versare boves et flamma † Boon

sic N *serus* O | *flamma palustra* FL *plaustra bootes* DV. vix fieri potest, ut difficultates huius loci explicentur; nam et ceteri omnes codices congeriem litterarum plane insanam praebent praeter familiam DV neque cognosci potest, quomodo singuli corrupti inter se referantur. talium locorum si essent plura exempla, Leonis de variis archetypi lectionibus sententia aliquid haberet ponderis. iam vero quoniam dubitari non potest, quin alio loco versus in codice Neapolitano abruptus in familia DV falso suppletus sit (II 34, 53. cf. supra), nullo modo mea quidem sententia discrepantia codicum intellegi potest, nisi illud *plaustra* glossematis loco pro voce *flamma,* quae satis saepe de stellis a poetis usurpatur (cf. thes. l. lat. VI 866, 65 ss.), in margine alicuius vetusti codicis scriptum fuisse et cum corruptelae irrepsissent, ea, quae in codicibus DV legimus, in metrum coacta esse iudicamus. fortasse Rothstein, qui unus ex omnibus editoribus hoc loco lectionem classis DV spernit, verum textum repperit: *cur seros versare boves it flamma Bootae.*

---

[1]) Codices deteriores praebent duobus locis *iuvat.*

[2]) Die ganze Vorstellung liegt in der Sphäre des Wunsches, und das führt dazu, daß man auch das den Wunsch ausdrückende Verbum in den Modus des Wunsches setzt.

IV 3, 11 haecne marita fides † et parce avia noctes

sic N *et pacate mihi* FL *hae sunt pactae mihi* DV. etiam hoc loco Hosio aliisque repugno codicum DV verba, quamquam ea, quae codex Neapolitanus praebet, illis minime similia sunt, recipientibus. ex quo alii viri docti verum textum repetere conati sunt, e. g. *et pactae in savia noctes* Haupt, *et pactae in gaudia noctes* Rothstein, *pactae et mihi gaudia noctis* Loeschhorn, Berl. philolog. Wochenschr. 1920 col. 168. sed has omnes coniecturas propter synaloepham inusitatam *pactae in* evertit Leo, Plaut. Forsch. p. 359,[1]) quamquam ipse priore aetate „nihil remittere volebat de pulcherrima illa audacia Hauptii" (Rh. Mus. 35, 1880 p. 447). ergo usque adhuc versus corruptus vixdum restitutus est.

11, 101 s. moribus et caelum patuit: sim digna merendo,
cuius honoratis ossa vehantur aquis

equis DV. hanc vocem recte se habere vix quisquam est, qui dicat, quamquam Hertzberg aliquando fuse in commentario illam defendit. neque vero magis mihi arridet illud *aquis*, quod ceteris codicibus praebetur; nam contra Rothsteinium (ad h. l. et in appendice II p. 388) sententiam *moribus et caelum patuit* potius ad Corneliae causam pertinere quam ad heroas iudico. primum enim illud *moribus* huc spectat, deinde vocabulum *et* „sogar" hac demum interpretatione suam habet vim, quoniam caelum heroibus communi iudicio facile contingit. quod cum ita sit, Heinsius verum textum restituisse videtur vocabulo *avis*.

Postremo permultis locis tractatis quaeritur, num omnino aliquoties soli codices DV aliquid exhibeant veri. atque inveniuntur quidem haud dubie talia eaque fere tam levia, ut nihil obstet, ne exigua menda ab humanistis correcta esse opinemur. de plurimis eiusmodi locis viri docti consentiunt, ita ut discrepantias notare satis habeam:

a) una vocalis in ceteris codicibus depravata vel deperdita est: I 2, 7 *tua est*, II 11, 2 *ludet*, 15, 14 *Menelao*, 16, 46 *fiet*, III 22, 2 *quae*, IV 1, 45 *Decii*, 2, 59 *stipis*, 10, 26 *capta*, sed DV recte: *tuae est*, *laudet*, *Menelaeo*, *fiat*, *qua*, *Deci*, *stipes*, *captae*.

b) una consonans in ceteris codicibus depravata vel deperdita est: I 16, 18 *iam*, 20, 37 *ilia*, II 15, 8 *lecte*, III 11, 51 *vada*, 13, 53 *aurigero*, 22, 5 *iuvat*, IV 1, 21 *vestra*, 3, 61 *ornis*, 4, 72 *absciso*, 7, 45 *Lalace*, 8, 45

[1]) [Nunc in altera editione II p. 381 fortasse iure Rothstein: Das metrische Bedenken, das Leo geltend macht, kann nicht entscheiden, weil die Elision des Diphtongs *ae* auch in den früheren Büchern so selten ist, daß man ein Gesetz nicht wohl aufstellen kann.]

secundo, 10, 21 *piroto*, sed DV recte: *tam*, *lilia*, *lente*, *vaga*, *laurigero*, *iuvant*, *Vesta*, *hornis*, *abscisso*, *Lalage*, *secundos*, *pyropo*.

Huc accedunt duo loci ut extrinsecus simillimi, ita significatione a ceteris codicibus tam diversi, ut editoribus medii aevi Propertianis tantas facetias obtigisse vix credas: I 8, 7 *ruinas* et IV 6, 22 *apta*, sed DV recte: *pruinas* et *acta*.

His locis attribuere non dubito I 8, 27; 12, 9; II 7, 8; 29, 31, de quibus editores recentissimi aut omnes aut aliquot aliter sentiunt.

I 8, 27 hic erit, hic iurata manet

erat NAF. novae elegiae principium fit quamquam tam arte coniunctae cum superioribus versibus, ut vix ea per se stare possit, sed novam animi affectionem inducens ad priorem elegiam supplendam comparata esse videatur. poeta enim summa laetitia commotus, quod Cynthia consilium cum alio in Illyricum proficiscendi abiecerit, exclamat ea, quae supra exscripsi. — plane consentio Leoni improbanti, quod Rothstein (addo: et ceteri omnes editores aetatis nostrae) receperit *erat* (Gött. gel. Anz. 1898 p. 728): formam *erat* esse utique refutandam et grammaticae causa — *fuit* enim vocem flagitari[1]) — et sermonis poetici. optime iudicat; nam exsultans homo minus praeteritum tempus respicit quam futurum, de quo eo amplius loquitur, et affectus eius multo fortius exprimitur, si eadem vel simillima sententia in altero enuntiato ἀναφορικῶς ordiente repetitur,[2]) ut est omnino Properti in statu rei cuiusdam describendo longius versari. ceterum etiam hoc loco bonam coniecturam exstare nego, immo vero si non interpolationes, at certe levia menda in ceteros codices irrepserunt, id quod affirmatur eadem discrepantia II 24, 17 *erat* O *erit* N falso et IV 7, 33 *erat* N *erit* O falso. ergo codices gemelli DV soli verum textum reservaverunt.

I 12, 9 s. invidiae fuimus: num me deus obruit? an quae
lecta Prometheis dividit herba iugis?

num DV *non* NAF. *nonne*, cuius particulae loco simplex vocabulum *non* stare putandum esset, mea quidem sententia huc non quadrat, quia interrogatio mirantis est. simili modo atque

---

[1]) Insuper equidem revoco ad Prop.
I 12, 20 Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit
II 18, 22 huic malus esse solet, cui bonus ante fuit.

[2]) Per schema quoddam in altero membro anaphorico adiectivum vel participium additum est:
II 4, 7 non hic herba valet, non hic nocturna Cytaeis
22, 34 hic ego Pelides, hic ferus Hector ego
III 22, 39 haec tibi, Tulle, parens, haec est pulcherrima sedes.

hoc loco etiam Prop. III 5, 42 s. fieri non potest, quin contra codicem Neapolitanum *non* praebentem scribatur *num*.

II 7, 7 s. nam citius paterer caput hoc discedere collo,
quam possem nuptae perdere amore faces.

more NAF. contra multos editores, in quibus hoc loco etiam Baehrens pedisequus codicum DV est, horum lectionem probo; nam est quidem locutio *more alicuius vivere* hoc est *vitam suam ad morem alicuius conformare* (cf. Ter. Andr. 152 *alieno more vivendum est mihi.* Enk l. l. ad Prop. II 7, 8), sed nusquam invenitur *more alicuius aliquid facere* hoc est *arbitrio alicuius aliquid facere.* iunctura *amore nuptae* („durch die Liebe zu einer mit mir Verheirateten") sane quidem hoc ipso loco diligentius consideranti haud ita apta videtur, sed quidni illud substantivum *amor* consulto εἰρωνικῶς pro *matrimonio* dici intellegamus? eodem modo quo hoc loco vocalis initialis alicuius vocabuli in optimis codicibus omissa est II 1, 31 — sed ibi irritum conamen corruptelae tollendae codices DV praebent (cf. supra p. 83 s.) — et fortasse III 18, 24, quo loco haud scio an recte Leo proposuerit: *scandenda atrocis*[1]) *publica cymba senis.* — *est troci* N *est torti* O *est torvi* F_2V_2 plurimi editores.

29, 31 quid tu matutinus, ait, speculator amicae?

quod O *quo* ς. vocabulum *quod* nullo modo ferri potest. utrum *quid* (Hosius) an *quo* (Rothst.) accipiamus, quamquam certe diiudicari non potest, tamen vocem *quo* ea vi quae est „zu welchem Zweck" in carminibus Propertianis interrogationum concitati hominis tam plenis nusquam inveniri mirum est, quamobrem illud *quid,* quod simili sensu apud Propertium sescenties nobis occurrit, probare malim. ergo non humanistarum codices, quos siglo ς vocare solemus, sed codices DV rectam coniecturam praebent.

His locis, quibus una littera mutata familiam DV verum textum reservatum vel restitutum habere puto, accedunt nonnulli elegantius correcti: III 2, 4 *in muri membra* DV *in numeri membra* NL *imineri membra* F. 15, 14 *molliaque immites fixit in ora manus.* — *immites* DV *immittens* NL *immictens* F. IV 2, 34 *Faunus* DV *Fauor* N, *Faunor* FL.

Has lectiones codicum DV cum vix ullus editor spernat — Phillimore ut saepe etiam III 15, 14 manifestam corruptelam in textu ponit, scilicet *immittens* —, restant duo loci spinosissimi, quos per multum tempus animo tractans iam facere non possum, quin contra Phillimorum et Rothsteinium, altero loco etiam

---

[1]) [Haec coniectura a Rothsteinio ed. II p. 374 propter vocalem *a* inusitate productam reicitur.]

contra Hosium illos codices verum textum exhibere iudicem, quamvis quispiam tot exemplis monitus obscuriorem et rectam scripturam faciliore quadam per foedam interpolationem summotam esse credat. agitur enim de versibus I 8, 19 et IV 4, 32.

I 8, 17 ss. sed quocumque modo de me, periura, mereris,
sit Galatea tuae non aliena viae;
utere felici praevecta Ceraunia remo,
accipiat placidis Oricos aequoribus.

utere DV *ut te* O. multi quidem editores criticique, in quibus est Vahlen vir philologus maximae auctoritatis (Sitzungsber. Berl. Akad. 1882 p. 268 = Ges. Schr. II 1923 p. 142) difficiliorem scripturam ceterorum codicum praeferunt, quam ne in Properti quidem audacissima dictione rectam esse equidem iudico. qui *praevecta* formam pro vocativo habent, ad locos velut Tib. I 7, 53 *sic venias hodierne* et Ov. ars am. I 145 *facito, studiose, requiras* (cf. her. 10, 6; met. X 196 similiaque) provocant. sed haec omnia exempla nullo modo cum eo versu Propertiano comparari possunt, quia vocativi participiorum vel adiectivorum praedicati loco pro nominativo stant. ac Prop. I 11, 9 s.

atque utinam mage te remis confisa minutis
parvula Lucrina cymba moretur aqua

haud minus apte formam *confisa* ad vocem *cymba* pro nominativo referemus. hunc locum Propertianum, de quo agimus, a ceteris, quos attuli, plane differre ne Wackernagel quidem, qui l. l. I p. 308 s. universe vocativum tractans de hac re disserit, negat neque aliud exemplum afferre potest. quod cum ita sit, contra eum multosque Properti interpretes prorsus dubito, vocativusne *praevecta* ferri possit. neque plus habet probabilitatis interpretatio, quam proponit Leo, Gött. gel. Anz. 1898 p. 738: formam *praevecta* passive exstare, illud autem *accipiat* per ζεῦγμα intellegendum esse iudicat. neque enim promunturium illud plane diabolicum potest dici accipere, cuius cum vocabuli significatione semper aliquid hospitiale iungitur. quodsi illam scripturam pessum datam esse iudicamus, nulla ex multis coniecturis, quibus viri docti versum sanare studuerunt, id exhibet, quod optime codices gemelli DV. quorum contra lectionem nescio, quae firma argumenta proferri possint. iam enim alii refutaverunt duo illa extrinsecus petita, scilicet optandum esse, ut potius in praevehendo felix sit Cynthia, non praevecta, deinde non commode illud *te* in versu vicesimo animo audiri; nam et saepe participium perfecti a Propertio sine ulla vi temporali adhibetur (e. g. I 15, 12 *locuta*) et obiectum accu-

sativi vel dativi in Properti versibus frequenter subauditur (cf. I 4, 16; 6, 22; 10, 11; II 5, 24; 10, 26; 21, 12). atque ipse prius dubitavi, Propertiusne *utere felici praevecta Ceraunia remo* tam profuse pro *praeveharis Ceraunia feliciter* diceret, sed id ipsum haud scio an poeta spectet, ut pulchrum cursum maritimum large depingat. nunc vero quaeritur, num bona coniectura medii aevi doctorum hoc loco exstet. sed ad talia isti vix satis ingeniosi erant. ceterum memineris velim in eiusdem carminis versu septimo pro falso vocabulo *ruinas* haud dubie recte in familia DV traditum esse *pruinas*.

Denique huc spectat locus quidam libri quarti:

IV 4, 31 s. ignes castrorum et Tatiae praetoria turmae
et formosa oculis arma Sabina meis

famosa NAF. ab his verbis sermo intimus Tarpeiae amore Tati captae orditur. interpretationi Rothsteinii[1]) nonnulla vehementer repugnant; primum enim aliqua significatio futuri temporis desideratur (cf. v. 43 *quantum ego sum Ausoniis crimen factura puellis*), deinde mea quidem sententia tota cogitatio adiectivo *famosus* versui inserta ab hoc loco abhorret, quo desideria sua Tarpeia summo cum affectu pronuntiat. atque ei ipsi rei commodissimum est illud *formosa oculis . . . . meis;* nam quamvis foetida arma hostis probis civibus sint, Tarpeiae Tatius in armis, quae sunt galea, lorica aliaque — neque enim de telis, sed de armis agitur —, incedens bellissimus homo videtur esse.[2]) ceterum fortasse exprimit eum locum Propertianum auctor ille incertus carminis Tibulliani IV 13, cf. v. 3 s.

tu mihi sola places,[3]) nec iam te praeter in urbe
formosa est oculis ulla puella meis.

Summam ut faciam quaestionis meae, id satis multis exemplis demonstravisse mihi videor, codicibus DV interpolationum plenis usque ad nuperrimas editiones nimium attributum esse auctoritatis. tamen quidquid illi praebent veri, quamvis pauci eiusmodi loci sint, non plane neglegendum est ad auctori-

---

[1]) Tarpeja weiß, daß durch ihre verbrecherische Liebe zu Tatius der an sich, wie es sich nach den kleinen Verhältnissen der alten Zeit von selbst versteht, unbedeutende Sabinerkrieg zum Gegenstand poetischer Darstellung werden wird.

[2]) Iniuria igitur Rothstein iudicat ed.[1] p. 374: Die Aenderung würde den Gedanken enthalten, daß die an sich häßlichen Waffen der Sabiner der Tarpeja infolge ihrer Liebe zu Tatius schön erscheinen. Aber weshalb sollten die Waffen der Sabiner oder die Waffen überhaupt häßlich sein?

[3]) Haec eadem enuntiatio reperitur Prop. II 7, 19 et Ov. ars am. I 42,

tatem eius familiae iudicandam; nam ex correcturis posteriorum omnia talia inventa esse minime putanda sunt. quae cum ita sint, primum ex codicibus gemellis vestigia editionis medii aevi Propertianae cognoscuntur, quae magna cum audacia confecta est, quamquam omnes interpolationes illi editori soli attribuere certe nequaquam licet — de hoc fortasse aliquando accuratius disserere poterit, qui codices ipsos inspexerit et me peritior erit litterarum ad medium aevum pertinentium —; deinde autem ille editor memoria usus est, quae fortasse simillima quidem erat codici Neapolitano, sed locis quibusdam mendis carebat, quae in hoc ceterisque testibus apparent.

Index locorum Properti accuratius tractatorum

Vita

Natus sum *Ernestus Alexander Neumann* Berolini a. d. XII kal. Oct. anno MDCCCC patre Ernesto, matre Anna e gente Weidelhofer. fidem profiteor evangelicam. primordiis litterarum imbutus per annum gymnasium Berolinense, quod nomen capit a Sophia, frequentavi. deinde postquam parentes mei Gedanum domicilium transtulerunt, ibi paene octo annos discipulus fui gymnasii quod vocatur urbani. maturitatis testimonium a. d. XIV kal. Iul. anno MDCCCCXVIII adeptus per septem fere menses militavi. missus factus vere anni MDCCCCXIX Berolinensem universitatem petivi, ut ad studium philologiae et postea theologiae me conferrem. hic per decem semestria versatus sum. examen pro facultate docendi absolvi pridie kal. Iul. anno MDCCCCXXIV.

Docuerunt me imprimis viri doctissimi hi:

Deissmann, Diels (†), Ed. Fraenkel, Gressmann, v. Harnack, Iaeger, Kirchner, P. Maas, Ed. Meyer, Noack, Norden, Regenbogen, W. Schulze, R. Seeberg, v. Wilamowitz.

Proseminarii philologi inferiorem ordinem per duo semestria frequentavi, superiori ordini per tria ascriptus fui, in seminario philologo per duo semestria me instruxerunt Diels (†), Iaeger, Norden.

Quibus cum omnibus viris quantum debeam, vix dicere possum, tum *Ernesto Bickel,* insigni huius operis fautori, gratiam habeo atque habebo quam maximam.